Google

Digitized by Google

F. J. F.

BERNARDI MARIÆ DE RUBEIS

Ordinis Prædicatorum e congregatione B. JACOBI SALOMONII

DE UNA SENTENTIA DAMNATIONIS IN ACACIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM

Poſt quinquennium ſilentii lata

IN SYNODO ROMANA FELICIS PAPÆ III.

DISSERTATIO.

Ubi quamplura ad Acacianam hiſtoriam pertinentia ex epiſtola nuper e vetuſto codice Veronenſi edita, eidemque Felici III. adjudicata illuſtrantur.

VENETIIS, MDCCXXIX.
E Typographia Bartholomæi Javarina
In vico D. Jo: Chryſoſtomi.
Sub ſigno Immaculatæ Conceptionis.
SUPERIORUM PERMISSU.

[illegible]

Digitized by Google

AMPLISSIMO VIRO

JO: FRANCISCO MUSELLO

Capituli Veronenſis Archipresbytero.

BARTHOLOMÆUS JAVARINA

Typographus Venetus.

Litterariam parvæ molis lucubrationem, quæ typis meis prodit in lucem, Tibi ut offerrem, vir ampliſſime, quin incommode mecum ageretur, ſuaſit gravitas diſceptationis, ac ejuſdem veluti fundamentum. Tibi nempe tuæque munificentiæ debetur alterum: alterum ſapientiæ tuæ judicio dignum eſt. Agitur enim de cauſſa Acacii, Epiſcopi Conſtantinopolitani, quæ pars eſt non contemnenda hiſtoriæ eccleſiaſticæ, quamve celebrem clariſſimorum Virorum diſſidia multa fecere. Sed ea nunc diſpicitur, explanaturque ab Auctore, fide maxime vocata monumen-

*ti vetuſtiſſimi, quod abs **Te** publico litterarum bono acceptum eſt. Copioſam illam intelligo epiſtolam* de vitanda communione Acacii, *quam publici juris facere in mea Sirmondi operum editione mihi bona ſorte contigit. Latebat illa pluteis incluſa inſignis Bibliothecæ Capituli Veronenſis, cum primum in ſupplemento Acaciano edidit eam clariſſimus Marchio Scipio Maffejus; eamdemque denuo collatam, ſuppletamque exhibent mea prela, Auctore Te, annuente collegio toto, operamque ſuam ſtudioſe navante collega tuo Joſepho Blanchino, tanti theſauri cuſtode, ac Magni Patrui æmulatore. Hoc inſigni antiquitatis monumento intellexit Auctor, hiſtoriam Acacianam illuſtrari plurimum poſſe: id egit ille pro virili: mihi reliquum fuit, ut quod tuum eſt, pro debita cultus & obſervantiæ ſignificatione Tibi referrem. Vale.*

PRÆ-

PRÆFATIO.

Celebrem cauſſam Acacii Conſtantinopolitani Epiſcopi, quæ magnis olim ſtudiis agitata eſt, partemque facit nobiliſſimam hiſtoriæ eccleſiaſticæ, tota verſat diſſertatio, quam publicæ luci trado. Non id generis haberi ea debet, quam poſteritati mandaverint concordi ac plano calamo vetuſti ſcriptores: neque ſane difficultatibus, quæ nec leves nec paucæ ſunt, ſatis videntur feciſſe doctiſſimi viri, qui ampliſſimis eam lucubrationibus pertractarunt. Tantæ rei meliori forte illuſtrandæ par credita eſt epiſtola *de evitanda communione Acacii* nuper e vetuſtiſſimo Tabulario Capituli Veronenſis edita Tomo V. Conciliorum & Tomo IV. operum Sirmondi venetæ editionis, quæ momenta cauſſæ ejus diligentiſſime narrat, et omnia ſuſceptæ a Græcis defenſionis argumenta refellit. Uberiorem colligi poſse notitiam rerum, quæ ad Acacianam hiſtoriam pertinent, jam monuerunt clari editores: imo allegata ejusdem epiſtolæ fide, non pauca emendavit, illuſtravit plura in *ſupplemento Acaciano*, quod edidit, marchio Scipio Maffejus numquam ſine laude nominandus. Rem eam-

dem mihi per otium libuit pro modulo ingenii vocare ad examen, ac vetuſtis hujuſce cauſſæ tabulis invicem, & nova cum epiſtola comparatis, capita difficultatum ſumma, quæ dubiam tenent mentem, pro viribus explanare. Si quid vero profecerim, æqui bonique lectoris judicium eſto. Simul collectam modo ſeriem totius Acacianæ hiſtoriæ ſub oculos pono, ne pluribus factis, quæ argumentum diſputationis circumſtant, fortaſſe ignoratis, eorumque ſucceſſione juxta calculos chronologiæ neglecta, minus pervia poſſit ipſa videri diſputatio. Anno CCCCLXXI. Gennadio vita functo ſufficitur Acacius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, præſidente Romanæ & univerſali Eccleſiæ Simplicio, ac tenente orientis imperium Leone ſeniore. Specimen illico dedit calentis intra viſcera ambitionis, cum privilegia olim a ſynodo II. regiæ urbis throno attributa, ac pridem canone XXVIII. Concilii Calchedonenſis confirmata & aucta, inſtaurari conatus eſt, ſi annueret quidem Princeps, a quo id impetrare non potuit, quod ejus religio vetabat. Obiit Leo Auguſtus, & junior alter anno CCCCLXXIV. quo ſibi vindicavit ſupremam poteſtatem Zeno, qui partes agit infandas in hiſtoria Acacii. De novi facilitate Auguſti plus nimio fidens Præſul ambitioſus, quod incœperat, perfecit ex parte, ſuæque juriſdictioni Epheſinam ſubjugavit Eccleſiam.

Non-

Nondum biennio orientis imperium rexerat Zeno, cum ſceptrum ejus tyrannus Baſiliſcus rapit anno CCCCLXXVI. quo demum fugato, Zeno inſequente anno CCCCLXXVII. reſtituitur. Interim Eccleſiam Alexandrinam, quæ ſolicitudini Acacii commiſſa fuerat, vaſtabant monophyſitæ homines, Timotheus Ælurus, & Petrus Moggus. Sancto Proterio occiſo, ut rem altius repetam, ſedem invaſerat Ælurus anno CCCCLVII. tenuitque uſque ad annum CCCCLX. cum a Leone ſeniore Auguſto exul abigitur, ille Cherſonam, in ejuſque ſuccedit locum Timotheus ſoloſaciolus, integer vitæ, ac fide orthodoxa probatiſſimus. Pace frui ſub optimo Præſule diu non potuit Eccleſia Alexandrina: pulſo namque Soloſaciolo, occupat eam anno CCCCLXXVI. Baſiliſci gratia fultus Ælurus. Hæc molienti tyranno Auguſto, fidemque inſuper calchedonenſem palam conculcanti ſe valide opponit Acacius: pro fide pugnat calchedone ſancita: rebuſque Alexandriæ cadentibus præſto adeſt. Tam præclara geſta commendat effuſa laude Simplicius: plurimumque confidens de conſilio Epiſcopi conſtantinopoleos, deque animi conſtantia, virtute, ac dexteritate, vices eidem ſuas in illis orientis partibus delegavit. Novo ille gratoque ornatus titulo, e re ſua cenſuit eſſe, ſi rem incœptam perficeret, obtinuitque a Zenone, qui recuperaverat imperium, ut longius pelleretur Ælurus.

 rus.

rus. Exul abire dum ille jubetur, mortem ſubire maluit hauſto veneno : eumque in Alexandrina ſede excepit Moggus ab uno hæretico inſaniæ complice Epiſcopus ordinatus. Nuperum occupatorem dejicit, Acacio ſuadente, imperator Zeno; ſuæque tandem eccleſiæ legitimum paſtorem reſtituit Solofaciolum. Optatiſſimæ rei nuncium anno CCCCLXXVIII. detulit ſimplicio ipſe Acacius humaniſſima data epiſtola, cui pari officio reſponſum eſt. Jamvero improviſa deinceps actus mentis vertigine, prævaricationis opera moliri cœpit Præſul Conſtantinopoleos, quæ demum erupere in apertum ſchiſma. Monuerat illum Simplicius, ut Moggum Alexandrinæ inſidiantem Eccleſiæ longius relegari ſuaderet Zenoni; eluſitque juſtiſſimam ſedis Apoſtolicæ ſolicitudinem. Repetit epiſtolas, ut pro ſibi legata vice, datiſque mandatis de rebus orientis notitiam ferret: ſiletque obſtinatiſſime omnia. Moritur ſolofaciolus anno CCCCLXXXI. eique ſuffectum a clero & Populo Alexandrino catholicum Joannem Talajam inſequitur, privatas ulturus injurias. Dignum Epiſcopatu Moggum proponit, quem tenebrarum filium, ac latronem nocte irrepentem vocaverat, damnaveratque. Auctor denique fuit Zenoni, ut profanum Henoticon conſcriberet, in quo Moggus ipſe, & Monophyſitæ, fidei calchedonenſis forma neglecta, reciperentur in Eccleſiæ communionem.

Hanc

Hanc hominis ambitioſi furentiſque pervicaciam ut frangeret Felix III. qui anno CCCCLXXXIII. Simplicio ſucceſſerat, legationem conſtantinopolim decernit Vitalis Troentini, & Miſeni Cumani Epiſcoporum, quibus additus eſt Felix eccleſiæ defenſor. Datum illis in mandato, ut ſynodus Calchedonenſis firmetur, Moggus pellatur tanquam hæreticus, & Acacio denuncietur tum anathema eidem Moggo dicendum, tum prompta reſponſio ad Joannis Talajæ libellum perſcribenda. Non ſolum poſtulata deſpexit Acacius: legationem inſuper ſedis Apoſtolicæ blandimentis, minis, præmiis, perjuriis deceptam, ac Petri Moggi iniqua communione pollutam remiſit Romam. Synodus in urbe habita eſt anno CCCCLXXXIV. in qua Legati prævaricatores communione & ſacerdotio dejecti ſunt, Petrus etiam Moggus anathemate percuſſus, ac demum ſententia damnationis perſcripta in Acacium. Hæc porro ſunt Acacianæ hiſtoriæ facta, quæ pro certis haberi debent: quæ vocantur in examen, initio diſſertationis propono, ac deinceps dirimo & illuſtro.

Index

INDEX
PARAGRAPHORUM.

I.

Diſſidia veterum recentiumque ſcriptorum enarrantur.

II.

Quinquennio ſilet Acacius, quo elapſo Vitalis & Miſenus Epiſcopi legati mittuntur Conſtantinopolim.

III.

Eumdem quinquennii terminum definit Gelaſii Papæ epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ a Queſnellio edita.

IV.

Legatio Vitalis & Miſeni pertinet ad annum CCCCLXXXIII. *eodemque anno deſinit prædictum ſilentii quinquennium.*

V.

Incipit quinquennium idem anno CCCCLXXVIII. *quo pariter incipit triennium ſilentii, quod numerat Auctor geſtorum de nomine Acacii.*

VI.

Deſinit ſilentii triennium, de quo agit Auctor breviculi, anno CCCCLXXXI. *quo alind incipit triennium Gelaſii Papæ: ex quibus incompletis conficitur ſæpe dictum quinquennium.*

VII.

Ad Eccleſiæ Alexandrinæ ſtatum ſilentium Acacii referendum eſt.

VIII.

Acaciani ſilentii cauſſæ narrantur.

IX.

Error detegitur Liberati Diaconi mutuum narrantis epiſtolarum officium inter ſimplicium Papam & Acacium.

X.

Damnationis fert ſententiam Felix III. *in Acacium, eamque ſemel tantum.*

XI.

Quo ſenſu iterata dicatur excommunicatio Acacii?

XII.

Una celebrata eſt Romana ſynodus in Acacii cauſſa anno CCCCLXXXIV. *in eaque ſemel ipſe damnatus.*

XIII.

XIII.

Latæ in ſynodo Romana, ac poſtea promulgatæ ſententiæ tempora definiuntur.

XIV.

Synodus altera in cauſſa Petri Fullonis Romæ anno CCCCLXXXV. *celebratur.*

XV.

De ſynodico libello depoſitionis ad Fullonem miſſo agitur.

XVI.

Semel in Acacium in priore ſynodo Romana latam eſſe damnationem, confirmatur ex epiſtola ſynodi poſterioris ad Presbyteros & Archimandritas.

XVII.

Quæ poſt Acacii damnationem in prima ſynodo contigerunt, narrat eadem epiſtola, nullo novæ ſententiæ indicio facto.

XVIII.

XVIII.

Novam in Acacium latam non fuiſſe in poſteriore ſynodo ſententiam, probat Epiſcoporum ſubſcriptio.

XIX.

Dupinius refellitur, qui prædictæ ſynodi epiſtolam ad Presbyteros & archimandritas veluti confictam rejicit.

XX.

In Romana ſpeciali ſynodo ex Epiſcopis Italiæ coacta Acacius damnatus eſt.

XXI.

Sine Oecumenica ſynodo Acacium damnari non potuiſſe, contendebant Græci.

XXII.

Synodum pariter œcumenicam perperam a Græcis poſtulari, tota evincit Gelaſii Papæ ad Epiſcopos Dardaniæ epiſtola.

XXIII.

XXIII.

Non eſt Gelaſii I. ſed Felicis III. epiſtola nuper edita de evitanda communione Acacii.

XXIV.

Alius auctor ſe prodit numquam; qui nomine Felicis eamdem ſcripſerit epiſtolam.

XXV.

Nihil eſt in defenſione pro Acacio & Moggo ſuſcepta a Græcis, quod obſtet, quominus eadem Felici adjudicetur epiſtola.

DE

DE UNA SENTENTIA DAMNATIONIS IN ACACIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

Poſt quinquennium ſilentii lata in Synodo Romana Felicis Papæ III.

HIſtoriam damnationis Acacii, bene multis Virorum doctiſſimorum editis lucubrationibus pervulgatam, mirabitur nemo ad examen denuo vocari, qui cognita rei perplexitate variarumque ſententiarum inconſtantia, diligentiorem adhuc operam deſiderari ad eam recte digerendam, proque dignitate illuſtrandam facile noverit. Narrant quidem miſeram ſortem Præſulis ambitioſi plerique ſynchroni ſuppareſque illius ævi ſcriptores; recenteſque plures poſt Annalium eccleſiaſticorum parentem rem omnem ampliſſime diſcuſſerunt; nec illi tamen poſteritati quæ geſta ſunt, ſatis clare diſtincteque tradidere: nec aliorum induſtriæ res ubique (abſit verbo invidia) feliciter ceſſit. Nimia confidentia ne loqui videar, colligo primum graviores difficultates, quas ingerunt vetuſta monumenta; diſſitaſque omnes refero ſimul ſententias, quæ tot numerari

ri poſſunt, quot magni nominis Virorum, qui ſpartam hanc ornare aggreſſi ſunt, ſumma capita colimus.

I.

Diſſidia veterum recentiumque ſcriptorum enarrantur.

TRiennium obſtinatiſſimi ſilentii, quin ullas frequentius incitatus redderet ſedi Apoſtolicæ litteras Acacius de rebus Alexandrinis Petri Moggi Eutychiani perfidia turbatis numerat ſemel iterumque (*a*) Gelaſius Papa. Quinque ſcribit ſolidos annos (*b*) Liberatus Diaconus, qui ſibi in eodem loco contrarius eſt, ubi ſimplicium Romanum Pontificem inter Acaciumque intra eamdem quinquennii metam mutuum deſcribit in cauſſa Joannis Talajæ ſede pulſi Alexandrina litterarum officium, dataſque ab utroque recenſet epiſtolas. De hiſce nihil dubitans litteris, temporis notam in dubium revocat (*c*) Baronius: quas etiam memorat (*d*) Annotator ejus Antonius Pagius, quinquennii ſupputatione prætermiſſa;

(*a*) in Epiſt. VIII. ad Anaſt. Imp. & XIII. ad Epiſc. Dard.

(*b*) in Brev. cap. XVIII.

(*c*) ad Annum CCCCLXXXIII. num. 3.

(*d*) ad eumd. Annum num. 3.

— bet

quo demum retento, pro nothis fictiſque habet litteras eas (*e*) Clariſſimus Tillemontius.

Segetem præbet acrioris diſcordiæ lata in Acacium ſententia a Felice III. Simplicii ſucceſſore, quam Pontificum Romanorum epiſtolæ, Auctor breviculi ſeu geſtorum de nomine Acacii, Liberatus, & Evagrius referunt, in ſpeciem repugnante (quod inficiari nemo poteſt) ſerie geſtorum tradita; modo unius, modo alterius celebratæ ſynodi injecta mentione; ac ſemel etiam, iterumque lati atque repetiti anathematis indicio facto. Bis monitum fuiſſe, primo per Vitalem & Miſenum legatos regiam in urbem anno CCCCLXXXIII. miſſos, deinde poſt latam in ſynodo ſequentis anni ſententiam, ſed ante promulgationem ejuſdem, refractarium Conſtantinopolitanum Præſulem, ut male cœptis deſiſteret; ac utraque tandem ſpreta monitione, prolapſum in deteriora depoſitum eſſe, promulgato ſemel tantum damnationis edicto, narrat (*f*) Baronius: eademque in ſynodo Romana inſtauratum anathema in Petrum Fullonem, qui deturbato probatæ fidei viro Calendione ſedem Antiochenam invaſerat, ex epiſtola *ad Presbyteros & Archimandritas orthodoxos Conſtantinopoli & in Bithynia conſiſtentes*, (*g*) colligere ſibi poſſe videtur. Synodos Ro-

(*e*) Tom. XVI. in Acac. Art. XXVIII. & Not. XXII.
(*f*) ad An. CCCCLXXXIV. (*g*) ibid. num. 31.

manas duas collectas eſſe contendit (*b*) Henricus Valeſius, eodem Chriſti anno CCCCLXXXIV. eademque in Baſilica Apoſtoli Petri, alteramque ſexaginta ſeptem Epiſcoporum & alteram duorum ſupra quadraginta, illam V. Kal. Auguſti & iſtam ipſius menſis Kalendis, poſt breve ſcilicet quatuor dierum ſpatium. Bis etiam ſententiam in Acacium prolatam docet: partem ejus præcipuam, qua depoſitus excommunicatuſque declarabatur ille, de induſtria ac Patrum conſilio ſuſpenſam: eamdemque in poſteriore promulgatam, miſſamque Conſtantinopolim per Tutum Eccleſiæ Romanæ defenſorem cum litteris ad Zenonem Auguſtum, aliiſque ad Presbyteros & Archimandritas orthodoxos ſuperius laudatis. Partim approbat, partim rejicit Valeſii dicta (*i*) Antonius Pagius. Duas ille ſynodos Romæ coactas diſtingui oportere, ac in utraque perculſum fuiſſe geminato anathemate Acacium, pro certo habet. Primam putat, verno tempore anni CCCCLXXXIV. inchoatam eſſe, atque tum Vitalem & Miſenum, propterea quod ſuſceptæ anno antecedente legationis munus turpi fœdaſſent prævaricatione, gradu ſuo dejectos: abſolutamque deinde V. Kal. Auguſti, cum ſententia in Acacium, quæ perſcrip-

(*b*) in Diſſert. de duabus ſynod. Rom.
(*i*) ad Ann. CCCCLXXXIV. & ſeq.

ta

ta fuerat in priore quam vocat ſeſſione, & aliquantiſper ſuppreſſa donec iterum monitus reſipiſcere vellet, miſſa eſt Conſtantinopolim per Tutum, ſpe omni præciſa emendationis. Celebratam inſequente anno ccccLXXXV. ſynodum alteram ſuſtinet, in eaque primo Petri Fullonis cognitam cauſſam, judicatamque: tum repetitam Petri Moggi & Acacii damnationem: novum etiam damnationis edictum promulgatum, publicis locis infigendum, quod primus edidit poſt Breviculum hiſtoriæ Eutychianiſtarum Jacobus Sirmondus: dataſque demum celebres ad Presbyteros & Archimandritas Conſtantinopoleos & Bithyniæ litteras. Hæc aſſerenti Pagio Tilemontius conſentit, pauca ſi demas; nec enim (*l*) putat, directas ad Acacium ex Romana ſynodo monitorias litteras, nec in ea perſcriptæ ſententiæ dilatam fuiſſe, ſi forte propoſito mutato ſeſe furibundus homo ab hæreticorum communione revocaret, promulgationem: ſed illas a Felice Eccleſiæ defenſore, qui longo morbi cauſſa poſt Legatorum Vitalis & Miſeni profectionem tempore diſceſſit, Roma, perlatas Conſtantinopolim ſuſpicatur: ac iſtam pro certo habet, ſimul prolatam, promulgatamque, atque miſſam per Tutum ad Acacium.

Sic oportere hiſtoriam damnationis Acacii

(*l*) Tom. XVI. in Acac. Art. XXXII. & ſeqq.

texi, cenſuerunt Viri docti: nec meliori compage necti poſſe quæ ſuperſunt vetuſta documenta, quiſque propriis indulgens conjecturis, arbitrati ſunt. Cenſor etiam prodit (m) Ludovicus Ellies Dupinius, unoque ictu difficultates omnes, quæ tot abire in ſententias impulerunt alios, reſcindi poſſe credit, ſi quæ antiquitatis monumenta tamquam certiſſima ab aliis habita ſunt, rejiciantur veluti ſpuria. Rejicit vero auctoritate ſumma tum libellum citationis qui ad Acacium per Legatos miſſus dicitur, tum alterum Zenoni Imperatori oblatum, ac litteras frequentius memoratas ad Presbyteros & Archimandritas Conſtantinopoleos & Bithyniæ, Romanæ ſynodi nomine inſcriptas: unde ſynodum unam in cauſſa Acacii celebratam, eumque ſemel damnatum fuiſſe, colligit.

Sententiæ Romanæ ſedis reſtiterunt Græci pro Acacio agentes: eorumque gravior querela fuit, quod in ſynodo non fuerit damnatus depoſituſque regiæ urbis Epiſcopus. De ſynodo Viri docti diſputant, quam Græci intelligerent. Sine concilio œcumenico, in quo aliorum orientis, maximeque primarum ſedium Epiſcoporum quæſito conſilio cauſſa Præſulis Conſtantinopolitani diſcuteretur, damna-

(m) Tom. IV. Biblioth. Auct. Eccleſ. in Felice. III.

ri

ri ipſum, Græcorum ſententia, non potuiſſe, cenſet (*n*) Baronius, tenetque communis Auctorum perſuaſio. Specialem aliquam ſynodum eos poſtulaſſe, nullo generale inter ac particulare facto diſcrimine, contendunt (*o*) Valeſius & (*p*) Pagius: neque tales arbitrantur dici poſſe duas ab eiſdem ſynodos diſtinctas; quarum primam ob Vitalem & Miſenum prævaricatores, & alteram ob Eccleſiæ Antiochenæ a Petro Fullone occupatæ diſſidia; ſpecialiter collectas fuiſſe volunt. Illudque denique mirum, utriuſque partis Auctores, unius Gelaſii Papæ auctoritate in præſidium allegata, invicem pugnare: adeo ſcilicet diſſidentes inſpirant opiniones minus diſerti veterum ſcriptorum textus; quos intelligi pro genio cujuſque ingenioque facile eſt.

Jam ſatis conſtare puto, quod ante dixeram, perplexam adhuc manere obſcuramque damnationis Acacii hiſtoriam, celebrem licet vulgatamque; ſive ſcriptorum veterum minor diligentia, ſive recentiorum diſſidia ſpectentur. Quidni poſt Virorum doctiſſimorum ſtrenuam operam liceat novo citra notam conatu rem omnem pertractare, feliciöremque tentare ſortem? Hanc polliceri videtur epiſtola numquam antea vulgata *de evitanda commu-*

(*n*) ad An. cccclxxxiv. num. 21.
(*o*) in Not. ad lib. III. Evagr. cap. xviii.
(*p*) ad Ann. cccclxxxiv. num. 4.

nione Acacii, nuper edita in ſupplemento Acaciano inter Concilia novæ editionis Venetæ, & in Appendice tomi IV. operum Sirmondi pariter Venetiis prælo data, quam avidis oculis animoque attento cum perlegerem, pleraque animadverti, quæ ad hanc hiſtoriæ eccleſiaſticæ partem tot involutam difficultatibus illuſtrandam egregie faciunt. Aliqua nempe occurrunt facta, quæ dubiam eruditorum tenent mentem: aſſeruntur vero aut negantur in laudata epiſtola abſque ulla verborum ambage, ut impoſterum omni lite ſublata pro certis compertiſque haberi debeant. Hinc etiam lux candidior affulget, quæ obſcuriora quædam ſatis manifeſtat, quæ latens aliarum difficultatum veritas clariori conjectura diſpici poteſt. Gelaſio I. Romano Pontifici tribuitur epiſtola in Codice Veronenſi, unde eruta eſt: Felici III. præceſſori adjudicandam eam eſſe, pro certo habet Marchio Scipio Maffejus, Acaciani ſupplementi editor: neutri fortaſſe eamdem convenire, proponit Joſephus Blanchinus Veronenſis Eccleſiæ Canonicus & Bibliothecæ cuſtos in Appendice Sirmondiana: qua de re mihi plura infra diſſerendi locus erit. Eximium illud certe documentum eſt, quod ætas codicis pervetuſta commendat: idemque Acaciani ævi fœtum oſtendit cauſſæ argumentum, & argumenti pertractatio. Hac ergo prælucente face diſquiſitionem

tionem aggredior, ac primo ſilentii tempus, quo ſollicitudinem ſedis Apoſtolicæ de rebus Alexandrinis eluſit Acacius, ad examen voco.

II.

Quinquennio ſilet Acacius, quo elapſo Vitalis & Miſenus Epiſcopi legati mittuntur Conſtantinopolim.

QUinquennium omnino definit nuper edita epiſtola *de evitanda communione Acacii*, quæ *ad orientales Epiſcopos* miſſa dicitur. Verba ſunt: *cum Acacio enim nobis fuit priſca communio. Hæc ut ſervaretur illæſa, per quinquennium fere monuimus. Et licet nec reſcribere dignaretur, nos tamen ut catholicam fidem retineret, numquam deſtitimus adhortari. Poſtremo legatis miſſis terruimus, blanditi ſumus &c.* Temporis notæ, quam tam certo definitam revocare in dubium non amplius licet, principium ac finis conſtituenda ſunt, ut in ſe ipſam conſtare, ac bene invicem hærere integri quinquennii geſta, clariſſime pateat. Ac primo quinquennium illud claudi & finiri legatione Vitalis & Miſeni, quam Felix Papa Conſtantinopolim deſtinavit cadentibus Orientis Eccleſiæ rebus validiorem opem allaturus, dubitare non ſinunt prolata ver-

ba. Idem perhibent reliqua vetuſta monumenta. Quinquennium numerat, eumdemque temporis terminum figit (q). Liberatus Diaconus: *cum per quinque annos*, inquiens, *ſæpius fuiſſet admonitus Acacius, ut de ſtatu Alexandrinæ Eccleſiæ ſancti Papæ ſolicitudinem relevaret, nihil umquam reſpondere dignatus eſt*. Quinque annos habes: accipe finem. *Quoniam vero*, inquit, *tot epiſtolæ, quæ vel ad Acacium a Papa vel ad Imperatorem miſſæ ſunt, nihil penitus profecerunt, ex deliberatione Vitalis & Miſenus Epiſcopi in legatione directi ſunt*. Diuturnum hoc ſilentium memorat Auctor geſtorum de nomine Acacii, quo ludibrium fieri in everſionem totius eccleſiaſticæ diſciplinæ cum animadverteret Romanæ ſedis Epiſcopus, Vitalem & Miſenum ab eo ſcribit *ſub hac inſtructione directos eſſe, ut Petrus de Alexandrina pelleretur Eccleſia, ipſique anathema diceret Acacius*. Rem denique Gelaſius Papa confirmat, qui diſſentiens in numero annorum, triennium tamen quod profert, ad prædictam uſque legationem extendit. Ait ſcilicet: *hæc* (ſedes Apoſtolica) *dum Acacium certis comperiſſet indiciis a communione catholica deviaſſe, diutius iſta non credens ... per triennium fere litteris deſtinatis eumdem monere non deſtitit ... Quibus ille cum dedito ſilentio diu non reſpondere proponeret, Epiſcopalis quoque directa legatio eſt*.

(q) in Brev. cap. XVIII.

III.

III.

Eumdem quinquennii terminum definit Gelaſii Papæ epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ a Queſnellio edita.

LEguntur hæc Gelaſii verba in vulgata ſub ejuſdem Pontificis nomine ad Epiſcopos Dardaniæ epiſtola : Paullo diverſa apparent, imo poſtrema de *legatione epiſcopali* ſuppreſſa ſunt in eiſdem litteris, quas edidit (*r*) Queſnellius in *codice* quem vocat *Romanæ Eccleſiæ*, quibuſve ſimiles in vetuſto Veronenſi manuſcripto ex Maffejo & Blanchino extare diſcimus . Nihil eſſe vero quod ingerat difficultatem, planum eſt oſtendere. Verba refero, quæ habentur in editione Queſnelliana : nempe, *hæc* (ſedes Apoſtolica) *dum Acacium certis comperiſſet indiciis a veritate deviaſſe, diutius iſta non credens . . . per triennium fere litteris deſtinatis eumdem monere non deſtitit . . . Quibus ille primum tamquam dedito ſilentio nihil reſpondere proponens, tandem aliquando miſſis litteris profitetur, ſe Alexandrino Petro, quem expetita Apoſtolicæ ſedis auctoritate executor ipſe quoque damnaverat, abſque Apoſtolicæ ſedis notitia communione permixtum.* Nulla mentio legatorum injicitur, quos Felix Papa

(*r*) Tom. II. op. S. Leonis.

poſt

poſt elapſum triennium Conſtantinopolim direxerit: at luculentiſſime tamen ſcribitur, ad Acacium Roma deſtinatas fuiſſe per idem triennium litteras; dedito ſilentio, conſultoque nihil umquam reſpondiſſe Præſulem ambitioſum; *tandem aliquando*, hoc eſt, multo poſt hoc elapſum triennium tempore, ſolutum fuiſſe ab Acacio ſilentium, dataſque ad Romanum Pontificem epiſtolas.

Non alias hoc loco indicatas quiſque litteras conjiciat, niſi quas Conſtantinopoli redeuntes legati acceptas ab Acacio Romam detulerunt: unde colligi certo poteſt, triennium ſilentii, quod multò ante legatorum reditum fluxerat, in eorum deſtinata legatione abſolutum eſſe. Laudata perierunt Acacii reſponſa, quorum ſententias aliquas legimus in nuper edita epiſtola, dum Auctor ait: *Acacii ſcripta depromimus*, *quæ laudant Imperatorem iſta facientem*; & rurſus, *quia inſuper ſuis litteris confutatur*, *quod ipſius conſiliò cuncta ſint geſta*. Alia quæ ſcripſerat Acacius verba, recitat Felix in (*f*) ſententia in ipſum lata: *eos*, inquiens, *tecum litteris tuis communicare teſtatus es*; *quos conſtat hæreticos*. Quæve demum Acacii dicta in epiſtola Queſnelliana Gelaſii paucis collecta ſunt, referuntur ampliora in vulgata conciliorum editione, hoc modo: *litteris ſuis*

(*f*) VI. in colleſt. Labb.

Aca-

Acacius (quas Romam pertulerant legati) *indicarat ; & in Alexandrini Petri ſe communionem , quem expetita ſedis Apoſtolicæ auctoritate exſecutor ipſe quoque damnaverat , ſine ejuſdem Apoſtolicæ ſedis conſultatione promptiſſime recidiſſe ; & accuſationem Joannis , laudeſque Petri proprio ſermone* (legatos) *deferre* . Quæ cum ſibi invicem ac integro contextui tam bene convenire conſidero, totiuſque reliquæ dictionis parem exprimere characterem , ac hiſtoriæ veritati conſona eſſe, non huc aliunde translata, ut putat Queſnellius, aut ſuppoſita dixerim; ſed ubi deſunt librariorum incuria prætermiſſa, vel eamdem epiſtolam ſub duplici forma ab eodem Gelaſio prodiiſſe cum (*t*) Petro Conſtantio Congregationis S. Mauri veriſimilius judicaverim, ut nemini jam liceat brevioris epiſtolæ exemplo ampliorem eludere.

IV.

Legatio Vitalis & Miſeni pertinet ad annum CCCCLXXXIII. *eodemque anno deſinit prædictum ſilentii quinquennium.*

CLauditur ergo ſilentii quinquennium, quo de agimus, legatione Vitalis & Miſeni.

(*t*) in Vindiciis Vet. Codd. conſ. parte IV. cap. XIII.

Hanc

Hanc illigant communi conſenſu anno CDLXXXIII. Viri docti, ſi (u) Bollandum & Henſchenium excipias, quibus eam ad annum CCCCLXXXVI. referre placuit. Falli eos certo colligas, ſi paullo attentius expenderis, Joannem Talajam ſede pulſum Alexandrina Romam veniſſe imploraturum opem Simplicii contra Moggum ſedis ejuſdem occupatorem, Acaciumque patronum: turbatis rebus afferre ſubſidium non potuiſſe Simplicium, anno labente CCCCLXXXIII. morte præventum: Felici III. qui anno eodem, fatentibus Bollando & Henſchenio, ſuffectus eſt, libellos accuſationis a Joanne oblatos: ab eodemque Romano Pontifice legationem Vitalis & Miſeni, ut finem graviſſimæ cauſsæ imponeret, directam fuiſſe Conſtantinopolim. Hæc omnia ſcribunt concordi calamo (x) Auctor geſtorum de nomine Acacii, (y) Liberatus Diaconus, & (z) Evagrius. Felix ipſe in litteris ad Acacium, & Zenonem Auguſtum per legatos miſſis, prædictam legationem initio Pontificatus, eodem videlicet anno CDLXXXIII. ad finem vergente, deſtinatam fuiſſe, ſatis declarat. Ait ille in (a) epiſtola ad Acacium:

(u) in Act. SS. ad diem XXV. febr. in Vita Felicis III. c. III. num. 15.
(x) Tom. V. Concil. Labb.
(y) in Brev. cap. XVIII.
(z) lib. III. Hiſt. cap. XVIII. edit. Valeſ.
(a) I. in coll. Labb.

poſt-

poſtquam ſanctæ memoriæ Deceſſore meo Papa Simplicio de vitæ curſu ſuperna præceptione migrante, miniſterii quod regebat ad meæ humilitatis officium gubernacula pervenerunt .... continuo me ſolicitudo maxima, quæ & Prædeceſſorem meum inceſſanter urgebat, tam Alexandrinæ urbis quam ſtatus fidei totius orientalis regionis excepit. Hæc nos diebus noctibuſque perſtringens, ad Dominum filium noſtrum chriſtianiſſimum Principem per Vitalem & Miſenum fratres & coepiſcopos noſtros legationem compulit deſtinare. Ait etiam in (*b*) epiſtola ad Zenonem: *decebat profecto, Venerabilis Imperator, poſt ſanctæ memoriæ deceſſoris mei tranſitum, meque in ejus locum divina gratia ſubrogatum, clementiæ tuæ litterarum munus offerre ... Itaque conveniens fuit, ut Vitalis & Miſeni fratrum & coepiſcoporum noſtrorum ... ad vos neceſſariam legationem mitterem.* Dolendum eſt, conſulatum excidiſſe quo datæ ſunt hæ litteræ, quove tempus legationis certiſſime conſtaret. An vero novi Pontificis epiſtolas, quas *decebat* Imperatori *offerri*, liceat datas credere tribus ac amplius poſt aſſumptum Pontificatum annis? An tantam paſſa fuerit dilationem *ſolicitudo maxima*, quæ prædeceſſorem Simplicium *inceſſanter urgebat*, ipſumque Felicem *continuo excepit*? Id factum

(*b*) II. ibid.

eſſe quam citius potuit poſt initum Pontificatum, decens litterarum officium poſtulat, & acris de rebus orientis ſolicitudo, ipſiuſque cauſſæ de qua agebatur graviſſimum momentum.

V.

Incipit quinquennium idem anno CCCCLXXVIII. *quo pariter incipit triennium ſilentii, quod numerat Auctor geſtorum de nomine Acacii.*

Silentii Acaciani detecto jam fine, initium ejus inquirendum eſt, ut quinquennium, quod numerant Auctor epiſtolæ nuper editæ & Liberatus Diaconus, ſplendide pateat. Lucem affert Auctor geſtorum de nomine Acacii, cujus hæc verba legimus: *Timotheo* (Æluro) *damnato morte pravento, Petrus* (Moggus) *conſors ipſius ab uno hæretico Alexandrinis Epiſcopus ordinatur. Quem nihilominus dejici juſſit chriſtianiſſimus Imperator* (Zeno) *& reduci Timotheum catholicum* (Soloſaciolum) *ſicut Acacii Conſtantinopolitani litteris continetur .... Scribit ad Papam Simplicium Timotheus .... rogans, ut ſcriberetur Imperatori de Petro, qui latebat in Alexandrina civitate & inſidiabatur eccleſiæ, ut ad longinquum deportaretur exilium. Per ferme triennium ſanctæ memoriæ Papa Simplicius non deſiit ſcribendo ad Acacium Epiſcopum, ut ageret cum Imperatore,*

tore, *& fieret de Petro quod Timotheus Epiſcopus poſtulabat. Scriptum eſt etiam Principi, ſed numquam inde reſcriptum eſt. Poſt omnia Joannem Presbyterum œconomum ſuum Timotheus ad Principem miſit, ut ſi quid humanitus ſibi forte contingeret, juberet pietas ejus, catholicum a catholicis ordinari.* Triennium habeo ſilentii, quod Acacius nihil umquam Simplicii litteris reſpondens tenuit; illudque inter Solofacioli reſtitutionem in priſtinam dignitatem fluxit, ac inter legationem quam Joannes Talaja ejuſdem Timothei nomine, dum extremo affligaretur morbo, ad Zenonem Auguſtum ſuſcepit.

Quibus hæc annis contigerint, jam ſtatuo, notis quibuſdam hiſtoriæ factis ante memoratis. Alexandrinam ſcilicet Eccleſiam perfidiæ theatrum fecerant Timotheus Ælurus & Petrus Moggus, audaciſſimi Eutychiani homines. Iniquo abdicaverant auſu communionem ſancti Proterii, qui Dioſcoro ſucceſſerat: tum uterque propterea, ſynodo Alexandriæ collecta, anathemate perculſus eſt: ſed iterum motis turbis, legitimum paſtorem deturbat, & Eccleſiæ pedum rapit Ælurus: qui demum, ejuſque ſocius Moggus nefario ſancti Præſulis inquinantur parricidio. Leonis Imperatoris juſſu Æluro dejecto, Timotheus Solofaciolus imponitur throno: inſequitur ille, tyranno Baſiliſco favente, orthodoxum Antiſtitem; pro-

que

que exilio, quod Zeno, recuperato imperio, ſtatuerat, mortem hauſto veneno ſubit: eique ſufficitur Moggus, ab uno hæretico ordinatus Alexandrinis Epiſcopus. Nuperum occupatorem pellit, ſuadente Acacio, Imperator Zeno, ſuæque tandem ſedi reſtituit Solofaciolum. Optatiſſimæ rei nuncium Simplicio mittit Conſtantinopolitanus Præſul (*c*) litteris datis, quibus monet, Petrum *qui more procellæ ſurrexerat diſſipatum eſſe*, ac *Timotheum poteſtati propriæ reſtitutum jam ſedis honore lætari*. Gratulatur eidem Romanus Pontifex *de liberata Alexandrina Eccleſia, & univerſalis Eccleſiæ quiete*. Datæ ſunt (*d*) gratulatoriæ Simplicii litteræ III. *idus Martii, Illo viro clariſſimo conſule*, ideſt anno vulgaris æræ chriſtianæ quadringentiſſimo ſeptuageſimo octavo: unde colligendum eſt, eodem anno accidiſſe quæ laudatus narrat Auctor geſtorum de nomine Acacii; Solofaciolum videlicet *ſcripſiſſe ad Papam Simplicium, ut ſcriberetur Imperatori de Petro, qui latebat in Alexandrina civitate & inſidiabatur eccleſiæ, ut ad longinquum deportaretur exilium*.

Dubium removent omne (*e*) Simplicii epiſtolæ, quæ conſulatu ejuſdem Illi, eodemque Chriſti anno quadringenteſimo ſeptuageſimo octavo,

(*c*) inter Epiſt. Simplicii in coll. Labb.
(*d*) lx. in coll. Labb.
(*e*) XII. in coll. Labb.

ctavo, [illegible] *x. Kal. Novembris* , ad Imperatorem ſcriptæ ſunt : queis ipſum *precatur* , ut Alexandrino Epiſcopo Timotheo *protectionis auxilium impendat, decernatque Petrum ſedis ipſius pervaſorem longius a tam præclara civitate relegari:* idemque ferunt aliæ Pontificis ejuſdem (*f*) ad Acacium litteræ . Sed *numquam* hac de re *inde* Conſtantinopoli ab Acacio *reſcriptum eſſe*, Auctor idem verbis relatis apertiſſime teſtatur: unde patet, quo inceperit anno triennium ſilentii, de quo ago, anno ſcilicet cadente quadringenteſimo ſeptuageſimo octavo. Elapſo triennio, ſolutum nihilominus Acacii ſilentium non fuiſſe, mox declaro: adeoque ſi numerentur hinc anni ad legationem uſque Vitalis & Miſeni, quam anno CCCCLXXXIII. ad obſtinationem ſilentis Acacii frangendam Felix III. deſtinavit, quinquennium habetur quod illuſtro.

VI.

Deſinit ſilentii triennium, de quo agit Auctor breviculi, anno CCCCLXXXI. quo aliud incipit triennium Gelaſii Papæ: ex quibus incompletis conficitur ſæpe dictum quinquennium.

DEſinit enim hocce triennium ſilentii in legatione Joannis Talajæ, quem extremo

(*f*) XI. in coll. Labb.

vitæ ſuæ tempore ad Zenonem direxit Soloſaciolus, de catholico ſucceſſore Alexandrinæ eccleſiæ conſulturus. Eo vita functo, rurſus occupat ſedem eamdem, jubente Imperatore, ſuadente Acacio, Petrus Moggus: atque tum initium ducit, quod numerat Gelaſius Papa triennium. Utrumque demum ſi incomplete ſumas, ac ſimul jungas, quinquennium ſæpedictum habes. Paucis omnia declaro. Talajam Alexandrinæ eccleſiæ Oeconomum regiam in urbem legatum miſſum a Timotheo, ut ſibi de hac vita migranti non alius ſubrogaretur Epiſcopus, niſi catholicus a catholicis ordinandus, narrat (*g*) Evagrius: vitæque ſuæ in extremis tunc verſatum eſſe orthodoxum Præſulem, Felix in (*h*) epiſtola, quam ad Acacium per legatos miſit, luculentiſſime teſtatur. Verba ejus hæc ſunt: *cum Timotheus ſanctæ memoriæ catholicus fungeretur extremis, divinæ inſpirationis inſtinctu, tam ad ejus Pontificis* (ejuſdem nempe Timothei (*conſulta reſcribens, quam ad urbis Alexandrinæ clerum, omni providentia mundavit* (Zeno Imperator) *præcavendum; ut ſi præfatum dominum ſacerdotem tranſire juſſerit, non niſi de catholicorum corpore clericorum, & qui omnibus communicaret eccleſiis, atque a catholicis ordinatus,*

(*g*) lib. III. hiſt. cap. XII. edit. Vales.
(*h*) I. in coll. Labb.

ſuc-

ſuccederet defuncto Pontifici. Hæc ſcilicet obtinuit ab Imperatore Joannes Talaja legatus ad urbem regiam a Soloſaciolo miſſus. Unde fallitur (*i*) Baronius, qui duplicem Talajæ legationem ad Imperatorem confundit; & hanc quæ ad extremos Soloſacioli dies pertinet, anno CCCCLXXVIII. illigat, quo prior alia geſta eſt, cum eumdem ſuæ reſtituit Eccleſiæ Zeno, ut infra moneo num. VIII.

Extat porro Simplicii Papæ (*l*) epiſtola ad Acacium data, *Severino viro clariſſimo conſule*, ideſt, anno CCCCLXXXII. *idibus Juliis*, ubi ad ſe *relatum* ſcribit *ab Ægyptia Synodo & Clero Alexandrinæ ſedis, obiiſſe Timotheum; eique conſona fidelium voluntate ſubrogatum eſſe* Talajam. Hæc ſolum expendenti credere ſatis foret, ſublatum e vivis Timotheum anno eodem ineunte quadringenteſimo octogeſimo ſecundo. Verum id anno ſuperiore cadente accidiſſe, probat hiſtoriæ ſeries, quam narro; certumque denique fit, anno eodem CCCCLXXXI. deſinere triennium, de quo agit Auctor geſtorum de nomine Acacii; illudque ſane incompletum, cum *ferme triennium* appelletur. Sequitur triennium Gelaſianum. Illud etiam incompletum cenſeri debet, Gelaſio teſte, qui

(*i*) ad Ann. CCCCLXXVIII. num. 19.
(*l*) XVII. in coll. Labb.

vocat illud (*m*) *fere triennium*. A morte Solofacioli ducendum idem eſſe, ac anno CDLXXXI. ad finem vergente mortem obiiſſe Præſulem orthodoxum, ſuadent Gelaſii verba inquientis: *hæc* (ſedes Apoſtolica) *dum Acacium certis indiciis comperiſſet a catholica communione deviaſſe , diutius iſta non credens ... per triennium fere litteris deſtinatis eumdem monere non deſtitit*. A Certis indiciis prævaricationis Acacii ducit initium triennii Pontifex. Hæc vero dedit ille, cum inſenſus Talajæ, qui ſubrogatus in locum Solofacioli fuerat , movit iram Zenonis contra ipſum, Moggum etiam Monophyſitam, quem ante damnaverat, velut idoneum Alexandrinorum Epiſcopum modo commendavit Imperatori; & huic demum profanum edictum , quod Ἑνωτικὸν vocant, perſcribendi auctor fuit. Definit rurſus Gelaſianum triennium anno CCCCLXXXIII. in legatione Vitalis & Miſeni Conſtantinopolim directa a Felice Papa: unde illud incipere , dicendum eſt anno CCCCLXXXI, eodemque anno mortem obiiſſe Solofaciolum; pars enim aliqua hujuſce anni cadentis, integer qui ſequitur quadringenteſimus octogeſimus ſecundus, ac major denique pars anni quadringenteſimi octogeſimi tertii ſatis complent quod *fere triennium* vocat Gelaſius. Hoc etiam triennii ſic definiti ſpa-

(*m*) in epiſt. VI. ad Anaſtaſ. Imp. & XIII. ad Ep. Dard.

tio

tio litteræ concluduntur, quibus Acacium *monere non deſtitit* ſedes Apoſtolica ; duæ namque ſuperſunt (*n*) Papæ Simplicii anno CDLXXXII. datæ, & alia Felicis a legatis Vitale & Miſeno anno inſequente Conſtantinopolim perlata. At enim ſi duo jungas triennia prædicta, eademque incompleta, quinquennium habes, quod numerant nuper edita *de evitanda communione Acacii* epiſtola, & Liberatus Diaconus: ac bene ſibi invicem hærere vides totius quinquennii geſta.

VII.

Ad Eccleſiæ Alexandrinæ ſtatum ſilentium Acacii referendum eſt.

QUinquennio ſiluiſſe Acacium cum dico; inofficioſum hoc ejus & obſtinatum ſilentium refero ad Eccleſiæ Alexandrinæ ſtatum, de quo certiores fieri, fruſtra poſtularunt Romani Pontifices, nec umquam obtinuere. Ad res enim antiochenas quod attinet, non me latent ab Acacio ſcriptæ hoc labente ſpatio temporis ad Simplicium epiſtolæ, tum de cæde Epiſcopi Antiochenſis, ac novi Antiſtitis ordinatione peracta Conſtanti-

(*n*) XVII. & XVIII. in coll. Labb.

nopoli, tum etiam de Calendionis electione. Primas innuit Simplicius in (*o*) epiſtola ad eumdem Acacium, quæ ad annum pertinet, *poſt conſulatum illi viri clariſſimi*, ideſt cccc. LXXIX. his verbis: *clementiſſimi Principis literis* (quæ ſignatæ ſunt eadem poſt conſulatum Illi nota) *tuæque dilectionis de ſacrilega & funeſtiſſima cæde, quæ apud. Antiochiam facta eſt, ſauciatus & nimium affectus mærore reſpondeo*. Memorat alias in (*p*) epiſtola ad eundem Conſtantinopoleos Præſulem, quæ data dicitur *Idibus Juliis Severino V. C. Conſule*, ideſt anno ccccLXXXII. Ait enim: *& ideo per fratrem & coepiſcopum noſtrum Anaſtaſium, qui ex prædicta regione* (Antiochena) *directus eſt, literis quoque tuæ dilectionis acceptis, alterni viciſſitudinem ſermonis tuæ redidimus caritati*. Antiochia miſſus fuerat Romam Anaſtaſius a Calendione ipſius Eccleſiæ Antiſtite ordinato, ejuſque Synodo: acceptaſque in itinere ab Acacio literas attulit Simplicio. His Pontifex monebatur de rebus Antiochenis, alto ſilentio ſuppreſſis Alexandrinis. Teſtis adeſt idem Simplicius in eadem ad Acacium reſponſione: *miramur autem*, inquiens, *nihil nos de ſtatu Alexandrinæ Eccleſiæ, te inſtruente didiciſſe; quem nunc ita habere*

(*o*) XV. in coll. Labb.
(*p*) XVI. in coll. Labb.

bere

here ſe comperimus, ut improbi per occaſionem obitus ſanctæ memoriæ Timothei (Solofacioli) *eamdem Eccleſiam conentur habere captivam*. Eam ſcilicet, favente Acacio, jubente Imperatore, a Petro Moggo improbæ factionis capite, occupatam fuiſſe, pulſo catholico Joanne Talaja, dictum eſt.

Prædictæ Simplicii literæ ſingularem menti ſuggerunt Antonii Pagii opinionem, quam falſam puto corrigendamque: Paucis eam hoc loco propono, ne longius currere videar extra argumenti ſuſcepti fines. Extant ſæpe laudati Romani Pontificis (*q*) literæ ad Zenonem Auguſtum datæ *decimo Kal. Julias poſt conſulatum illi V. C.* ideſt anno CCCCLXXIX: ac (*r*) aliæ ſequuntur de re eadem ad Acacium ſcriptæ, quas primo loco ſuperius attulimus. In his recolit Simplicius novi Epiſcopi Antiocheni ordinationem Conſtantinopoli ab Acacio factam: ratam habet eam, quod *ſeditiones Antiochenas* (quæ ſacrilegam in cædem Antecelloris eruperant) *non aliter ſedari poſſe exiſtimatum eſt*: Jubet vero, *ut deinceps ſecundum definitiones Patrum orientali Synodo creatio Antiocheni Pontificis ſervaretur.* Hunc fuiſſe Stephanum juniorem, vel tertium, ſcribit (*ſ*) Baronius, qui ſic Præſulum ejus

(*q*) XIV. in coll. Labb.
(*r*) XV. in ead. coll.
(*ſ*) ad an. CCCCLXXIX.

urbis digerit annos, ut Stephanus ſenior vel ſecundus unum annum ſederit, antequam ſacrilega necaretur cæde a Monophyſitis; eidem ſucceſſerit anno CCCCLXXIX. Stephanus III. ac ſedem tribus annis tenuerit uſque ad annum CCCCLXXXII., quo Calendio ſuffectus eſt. Falſam eſſe hanc opinionem, quam *vulgarem* vocat, contendit (*t*) Pagius; docetque, in ſubſcriptione citatæ Simplicii epiſtolæ loco *poſt conſulatum Illi V. C.* legendum eſſe, *poſt conſulatum Placidi V. C.* qua etiam nota, & non ſolum *conſulatu Severini* annus quadringenteſimus octogeſimus ſecundus, eodem auctore, indicatur. Non Stephanum ſeniorem obiiſse trucidatum, arbitratur, ſed juniorem: illum tribus annis, iſtum uno duntaxat epiſcopatum Antiochenum geſſiſſe: atque demum Calendionem ab Acacio Conſtantinopoli Antiochenſibus Antiſtitem ordinatum fuiſſe.

Hæc aſſerentem Pagium refellunt egregie (*u*) Bollandi continuatores in hiſtoria Patriarcharum Antiochenorum: ſuſtinentque validiſſime ſubſcriptionem epiſtolæ *poſt conſulatum Illi*. Quam ego rem prætereo, ne actum agere videar: falli tamen viros doctiſſimos moneo, cum verba epiſtolæ a Simplicio ad Acacium

(*t*) ad an. ccccLXXIX. & ccccLXXXII.

(*u*) Tom. IV. Julii.

anno

anno ccccLXXXII. datæ ſuperius relata ita exprimunt: *miramur autem, nihil nos de ſtatu Antiochenæ Eccleſiæ, te inſtruente, didiciſſe*; quibus Pagium revinci poſse arbitrantur. Mirari certe non poterat Pontifex, nihil ſe de ſtatu Antiochenæ Eccleſiæ, Acacio inſtruente, didiciſſe; cum recentes literas ejus ab Anaſtaſio perlatas acceperit, quibus de Calendionis electione inſtruebatur. Ac literæ ſane habent, *de ſtatu Alexandrinæ Eccleſiæ*; & ita legendum eſſe quæ ſequuntur verba evincunt: *quem* (ſtatum Eccleſiæ) *nunc ita habere ſe comperimus, ut improbi per occaſionem obitus S. M. Timothei eamdem Eccleſiam conentur habere captivam*. Alexandrinam rexit, non Antiochenam Eccleſiam Timotheus Soloſaciolus: quo vita functo, reſcierat Pontifex, Joannem Talajam ordinatum fuiſse, eoque pulſo captivam teneri a Petro Moggo Eccleſiam Alexandrinam. Unde magis magiſque confirmatur quinquennium ſilentii, quo de rebus Alexandrinis haud unquam voluit Acacius ad Romanos Pontifices literas dare.

VIII.

VIII.

Acaciani ſilentii cauſſa narrantur.

SEd quæ mentis vertigo occupaverit Acacium, qui cum Petrum Moggum ſede Alexandrina dejectum datis ad Simplicium litteris anno cccclxxvii. tenebrarum filium, latronem noctu irrepentem, & alienæ ſedis invaſorem appellaverit; eodem anno cœperit, ſcena mutata, ſedis apoſtolicæ ſolicitudinem de rebus Alexandrinis iniquo ſilentio ludificari, animumque flectere erga Moggum? Nemo negaverit, primatus ambitum in cauſſa fuiſse, quo vehementer abreptus ab ipſo ordinationis die nihil molitus non eſt, ut regiæ urbis faſtigio dignitas reſponderet ac poteſtas Eccleſiæ, quam regebat. Violentas Præſulis ambitioſi molitiones fuſius narrat (x) Baronius. Cauſſas ego proximiores adduco. Conjicio primum, bilem moviſse Acacio Joannem Talajam prædicto anno Conſtantinopolim a Soloſacioſo prima vice legatum miſſum, Imperatori gratias redditurum: ibi namque (y) teſte Liberato, cum Ello vel Illo magiſtro officiorum intimam iniit amicitiam; œconomus etiam

(x) ad an. cccclxxxii. num. 2. cccclxxviii. num. 6. cccclxxix. num. 12.

(y) in Brev. cap. xvi.

Ec-

Eccleſiæ Alexandrinæ declaratus *cauſſas habuit omnium Eccleſiarum*; habuitque *deſpectui præſulem Acacium Conſtantinopolitanum*. Hæc decoquere non poterat vanus homo: unde Solofaciolum averſari cœpit, cujus œconomum ſibi noverat minus benevolum; ac mitiora de Moggo cogitare, quem ante damnaverat. Ut ſilentium pertinacius teneret, ſumptam arbitror occaſionem ex electione Stephani junioris, quem ipſe Acacius Conſtantinopoli ordinavit Epiſcopum Antiochenis. Ratam habuit pro quietis amore Simplicius ordinationem ; ſimulque tamen cavit in (z) epiſtolis ad ipſum & Zenonem reſcriptis *poſt conſulatum Illi viri clariſſimi*, ideſt anno CCCCLXXIX. *decimo Kal. Julias*, ut *poſthac in Antiochena urbe veteri more ſervato a comprovincialibus ſuis Epiſcopis* ejus urbis Antiſtes, cum opus fuerit, *ordinaretur: neve quod nunc Acacius exſecutus fuerat, in uſum poſteritatis veniret.* Ægre tulerat, Pontificis mandato ſibi demi auctoritatem cupidiſſimus homo: quamve prætexebat illatam ſibi offenſam, ulciſci poſſe credidit, ſi Romanorum Pontificum de rebus Alexandrinis negligeret ſolicitudinem. Acceſſit nova cauſſa anno cadente CCCCLXXXI. quo Timotheo defuncto Joannes Talaja ſuffectus eſt. Hic enim *de ordinatione ſua*, verbis utor

(z) XIV. & XV. in coll. Labb.

Li-

(*a*) Liberati, *neglexit ſynodicas literas Acacio Conſtantinopolitano Epiſcopo deſtinare*: qui propterea *contriſtatus quia ſynodicas epiſtolas non direxiſſet*, vehementiori exarſit ira in Talajam, hunc ſede ſuaſit Imperatori deturbari debere, Moggum propoſuit epiſcopatu digniorem, ac omnia celare Pontifices Romanos obſtinatiſſimo ſilentio voluit.

IX.

Error detegitur Liberati Diaconi mutuum narrantis epiſtolarum officium inter Simplicium Papam & Acacium.

BEne conveniunt omnia. Excutere tamen opus eſt, quas (*b*) Liberatus recenſet Simplicii & Acacii epiſtolas, anno quadringenteſimo octogeſimo primo vel etiam inſequente ſibi mutuo datas, ut putat, in cauſſa Joannis Talajæ ſede pulſi Alexandrina, ac Petri Moggi ejuſdem invaſoris: his enim quinquennium ſilentii ſolvitur, quod numeramus. Imo ſane ſequitur, nec Gelaſii conſtare trienium; nec diuturnum ſervari ſilentium, quod memorat auctor geſtorum de nomine Acacii; ac ſibi demum ipſi contradicere Liberatum,

(*a*) in Brev. cap. XVII.
(*b*) in Brev. cap. XVIII.

qui

qui ſilentii quinquennium diſerte ponit. Datas etiam ab Imperatore ad Simplicium litteras de Moggo Alexandrinis Epiſcopo ordinato, pulſoque Talaja, teſtis eſt Romanus ipſe Pontifex in (*c*) epiſtola ad Acacium hiſce de rebus conſcripta: ſed Acacii nullam indicat. Hiſce permotus (*d*) Tilemontius veluti nothas confictaſque litteras eaſdem rejicit.

Liceat eas ante producere, ut veriſimilior ſententia ferri poſſit. Verba ſunt Liberati: *Simplicium appellavit* Joannes, *& ſuaſit ſcribere pro ſe Acacio Conſtantinopolitano Epiſcopo. Et quidem ad hoc Simplicius præparati animi & voluntatis fuit. Acacius vero ſuſceptis epiſtolis, ſimiliter reſcripſit ei, quia Joannem quidem Alexandriæ ignoraret Epiſcopum, Petrum vero Moggum ſuſcepiſſet in communionem in Zenonis principis Unitivo, & quod hoc citra ejus geſſiſſet ſententiam propter unitatem Eccleſiarum Principis juſſione*. Scripſiſſe Talajæ ſuaſu Simplicium Acacio, dubium nullum eſt. Acacii reſponſum ad Simplicium, quod recenſet Liberatus, minime ſcriptis mandatum conjicit Tilemontius, verum potius ab aliquo qui Romam Conſtantinopoli fortaſſe profectus fuerit, voce duntaxat ſignificatum. Quæ dum ego attentiori mente conſidero,

(*c*) XVII. in coll. Labb.
(*d*) in Acac. not. XXII.

tan-

tantam mihi videor ſimilitudinem videre dati reſponſi cum Acacii litteris ad Felicem III. per legatos Vitalem & Miſenum Romam redeuntes perlatis, ut pronum ſit ſuſpicari, nec litteras hujuſmodi confinxiſſe Liberatum, nec eas confictas plus nimio credulum recitaſſe; verum per oſcitantiam, ac minus attentam rerum conſiderationem Simplicio datas crediſſe, quæ ad Felicem ſucceſſorem miſſæ fuerant. Age, eas invicem comparemus. In his, quarum ſummam refert Liberatus, dicitur Acacius ſcripſiſſe Simplicio, *ſe Petrum Moggum ſuſcepiſſe in communionem..... citra ejus* Pontificis *ſententiam*. Paria legebantur in illis, quas Romam Vitalis & Miſenus pertulerunt, ut colligimus ex (*e*) epiſtola Gelaſii Papæ ad Epiſcopos Dardaniæ, ubi hæc habentur: *literis ſuis Acacius indicarat in Alexandrini Petri ſe communionem ... ſine ejuſdem Apoſtolicæ Sedis conſultatione promptiſſime recidiſſe*. Alia eſt ſententia epiſtolarum, quas refert Liberatus, *Principis* videlicet *juſſione* ab Acacio ſuſceptum eſſe Moggum: quem etiam juſſionis imperatoriæ prætextum ab eodem in epiſtolis ad Felicem adductum fuiſe, (*f*) Felix ipſe teſtatur: *apparet evidenter*, inquiens, *Acacium... exceſſus ſuos ſub veſtro*

(*e*) XIII. in coll. Labb.
(*f*) VII. in coll. Labb.

po-

potius nomine celare voluiſſe. Acacium rurſus inquientem inducit auctor epiſtolæ nuper editæ *ſe neceſſitate Imperiali communicaviſſe Petro*: eumque refellit ex ipſis *Acacii ſcriptis*, *quæ laudant Imperatorem iſta facientem*. Ea demum verba ab eodem Liberato relata, *propter unitatem Eccleſiarum*, ſatis exprimuntur aliis, quæ ſcripſit Acacius per legatos, eademque ſervata ſunt in nuper edita epiſtola, ubi legimus: *quippe qui* (Acacius) *dicit*, *nunc Alexandrinam eccleſiam reſpirare*. Annon eamdem indicat probatque epiſtolam ſententiarum tenor idem?

Acacio reſcripſiſſe Papam Simplicium, narrat Liberatus: *quod non bene fecerit, contra ſententiam Apoſtolicæ ſedis ad communionem hæreticum hominem percipiens; oportebat enim, communi decreto damnatum tamquam adulterum, communi conſilio a damnatione liberari. Ad hæc autem quia non ſufficeret Petro, confiteri ſe eſſe eccleſiæ catholicæ communicatorem ſecundum edictum* (Henoticon Zenonis:) *ſed oporteret, eum ſecundum terminum Calchedonenſis Concilii, & ſecundum epiſtolam Papæ Leonis Eccleſiæ amplecti communionem: unum enim duorum neceſſario agere deberet, aut ſuadere Petro pure ſuſcipere terminum Synodi, aut removere ſe ab ejus communione*. Eodem in errore cubare Liberatum puto, litteris, quæ a Felice miſſæ ſunt ad Acacium, Simplicio

cio

cio perperam adjudicatis. Cum enim Romam reverſi eſſent anno ccccLXXXIV.legati, ſuoque gradu in ſynodo utpote prævaricatores depoſiti, de Acacio poſtmodum actum eſt. Cauſſa ejus diſcutitur, litteræ expenduntur quas Romam legati detulerant, proprio ſcripto ſceleratæ communionis reus convincitur, judicaturque dignus anathemate. Antequam juſtam palam faceret excommunicationem Felix, mitius adhuc ex ſynodi ſententia agendum cenſuit cum Præſule conſtantinopolitano, aliaſque ad ipſum dedit admonitorias epiſtolas, ut ejurata Petri Moggi communione meliora cogitaret. Memorat eas (g) Liberatus idem his verbis: *ubi ergo ad plenum detectus eſt Acacius hæreticus, Papa Felix litteris ſuis ſynodicis ad Acacium ſic poſuit: peccaſti, ne adjicias, & de prioribus ſupplica.* Convenientiſſimum mihi videor initium conſpicere litterarum, quas idem Liberatus paullo ante Simplicio tribuit ſibi minus conſtans. Integram ſummam earum colligo ex iis, quæ pergit ille narrare: *ſuſceptis*, inquiens, *his Acacius litteris, perſeverat neque recedens a communione Petri, neque ſuadens ei palam ſuſcipere calchedonenſe concilium, & tomum Papæ Leonis.* Mandaverat ergo Felix Acacio in his monitoriis litteris ex ſynodo ad ipſum dire-

(g) in Brev. cap. XVIII.

ctis,

ctis, ut recederet a communione Moggi, eique ſuaderet palam ſuſcipere fidem ſynodi Calchedonenſis & Papæ Leonis: quæ totidem ac eadem omnino leguntur in epiſtola, quam Simplicio tribuit Liberatus. Fictas ergo ſi non placeat epiſtolas credere, quas veluti ſibi mutuo datas a Simplicio & Acacio refert idem Auctor; negari tamen non poteſt oſcitantia ejuſdem, qui Simplicio tribuit, quas certe Felix dedit epiſtolas.

X.

Damnationis fert ſententiam Felix III. *in Acacium, eamque ſemel tantum.*

AN non vero ferenda demum fuerat ſententia damnationis in Acacium, qui monita ſanctiſſima ſedis Apoſtolicæ obſtinatiſſimo quinquennii ſilentio ſprevit, habuitque ludibrio; Joannem Talajam catholicum a catholicis epiſcopum Alexandriæ ordinatum ſuaſit Imperatori turbari de ſede, privatas ulturus injurias; Moggó ſavit Eutychiano, quem ipſe ante damnaverat; eumque poſthabita Romani Pontificis conſultatione, neglectaque fidei Calchedonenſis forma, in communionem ſuſcepit in Principis Henotico; ac demum legatos Apoſtolicos, ſublatis inique legationis litteris, hoſtili more excepit, carceri mancipari paſſus

 eſt,

eſt , atque minis & blanditiis corruptos in communionem pertraxit hæreticorum ? Prævaricatorem Præſulem anathemate perculſum fuiſſe (*b*) *V. Kal. Auguſti*; *Venantio viro clariſſimo conſule*; ideſt, anno cccclxxxiv. fert ipſius ſententiæ ſubſcriptio, quam perperam vexare tentavit (*i*) Henſchenius, ut Acacii damnationem ad annum cccclxxxvii. pro genio differret. Geminatum fuiſſe anathema, eodem anno poſt quatuor dierum ſpatium Valeſius; anno inſequenti Pagius & Tilemontius volunt. Superis gratiæ, quod erepta tenebris eſt eximia nuper edita epiſtola *de evitanda communione Acacii*, qua veritas hiſtoriæ dudum perplexæ plurimoque diſſidio turbatæ clare detegitur, ac una probatur Acacii damnatio. Si Gelaſii Papæ, cui tribuitur in codice Veronenſi, ea fœtus eſt, non ante annum ccccxcii. dari potuit, quo ille thronum Pontificium aſcendit. Si Felicem potius habet auctorem, ſcripta dici debet, ut etiam docet (*l*) Marchio Scipio Maffejus, poſt ſynodum de lapſis in Africa anno cccclxxxvii. Romæ coactam, cujus in eadem mentio fit, & ante Acacii mortem quæ contigit anno cccclxxxviii. Hanc ſcilicet temporis notam ſatis indicant ſequentia epiſtolæ verba : *ſuſcipio ego eum*

(*b*) vi. in coll. Labb.
(*a*) ad Diem xxv. Febr. in Vita Fel. iii.

Mog-

(Moggum) *ſi placet, more lapſorum pœnitentiam agentem tota vita ſua, & in fine communionem ſumentem, ſicut de lapſis legitur conſtitutum*. De lapſis Africanæ eccleſiæ in Wandalica perſecutione, quam paullo ante memorat laudata epiſtola veluti *nuper* motam; anno ſcilicet CCCCLXXXIV. conſultus fuerat Felix, quomodo recipiendi eſſent: qua de re ſynodo Romana coacta *Flavio Boethio viro clariſſimo conſule* (anno CCCCLXXXVII.) *ſub die tertia iduum martiarum*, decretum editur, quod eiſdem fere ex epiſtola prolatis verbis effertur: ut nempe, *lapſi Epiſcopi, Presbyteri, vel Diaconi ... ad exitus ſui diem in pœnitentia, ſi reſipiſcunt, jaceant: nec orationi non modo fidelium, ſed ne catechumenorum omnimodis interſint: quibus communio laica tantum in morte reddenda eſt.*

Hac porro in epiſtola, poſt hanc de lapſis Romanam ſynodum, ad Epiſcopos Orientales data afferuntur plura, queis opinio profligatur de altera damnatione Acacii, quæ anno CCCCLXXXIV. vel inſequente geminata dicitur. Animadvertit (*m*) clariſſimus Acaciani ſupplementi editor ſupra laudatus, tum inſtaſſe Græcos pro Acacio agentes, ut abſolverentur prævaricatores Vitalis & Miſenus; tum reſpondiſſe Pontificem epiſtolæ auctorem, abſolutio-

(*m*) Adnot. XXIV.

nem eorum decerni non poſſe, Acacii damnatione non congeminata. An hæc repoſuiſſet Pontifex, qui bis Acacium jam ante vel damnaverit, vel damnatum ſciret? Ait vero: *quomodo nos compellitis, iterata quodammodo conſtitutione, cum exaggeratione prævaricationis Acacii, juſtam ſine dubio firmare, & congeminare ſententiam?* Quæ ſequuntur, peremptoria ſunt. Illa primum accipe: *Numquid Miſenus & Vitalis poterunt recipi, niſi dicant anathema Petro Alexandrino, & omnibus qui ei poſt anathema communicaverunt, vel communicant? Damnabunt ergo nobis definientibus iterum ipſi conſequenter Acacium. Quomodo ergo eum vultis abſolvere? An grave videtur, ſemel damnatum Acacium; & bis damnatum non erit grave?* His adde, quæ paullo infra habentur: *ſi aſſertionibus iteratis, & profeſſione geminata, recentique tractatu atque decreto, juſtam eſſe ſententiam quæ in Acacium ſit prolata, cum totius utique prævaricationis exaggeratione firmemus; vos reperite, quomodo poſtea poſſit abſolvi, quem repetita quodammodo conteſtatione damnamus?* Hæc item luculentiſſima expende: *in Acacium, utpote in auctorem, inſolubilem dixi meam fore ſententiam, non certo tempore relaxandam: quam ſi denuo confirmo, definitionis ſuæ tenore manſura eſt, ut non poſſit abſolvi*. Accedunt omnium diſſertiſſima: *ſufficit vel ſemel dictæ ſententiæ procurare*

curare ſolutionem. Quid eam me vis meo iterare decretò, ſi ſemel latam indignamini? Cur geminare contenditis, ſi ſemel prolatam abſolvere videtur eſſe difficile. Semel dicta, ſemel lata, ſemel prolata in Acacium ſententia dicitur: negaturque omnis in ejus cauſſa iterata aliquando conſtitutio, vel recens editus tractatus, vel anathema denuo confirmatum, ve denique exaggeratio prævaricationis cum iteratis aſſertionibus.

XI.

Quo ſenſu iterata dicatur excommunicatio Acacii?

VErba tamen illa Felicis, quæ geminatam videntur indicare damnationem, opponi ſolent ex (*n*) epiſtola ad Vetranionem Epiſcopum, ubi dicitur Acacius, *iterata excommunicatione depulſus*. Feliciſſime exponit ea (*o*) Marchio Scipio Maffejus, dum monet, iteratam dici, non a Felice latam ſententiam, quaſi bis ille Acacium damnaverit; ſed quam ante contra Eutychem & Dioſcorum, eorumque ſectatores & communicatores generatim tulerat ſynodus Calchedonenſis. Integer tex-

(*n*) xv. in coll. Labb.
(*o*) loc. ſup. cit.

ras habet : *in Calchedonenſi itaque Synodo ; quæ de Concilii Nicæni tenore procedens, pro chriſtianæ confeſſionis integritate ſervanda, tam auctoritate ſedis Apoſtolicæ quam univerſalis Eccleſiæ eſt celebrata conſenſu, Eutychem atque Dioſcorum conſtat fuiſſe damnatos. Quorum Timotheus & Petrus* (Ælurus & Moggus) *extitiſſe docentur procul dubio ſectatores; eorumque ſe communioni nefarie miſcuiſſe, etiam cum a nobis prohibitus eſt Acacius. Atque ob hoc ex forma ſynodi memoratæ ſimilem cunctos, quæ præfixa fuerat pravitati, damnationis incidiſſe ſententiam, cujus ſe elegerunt eſſe conſortes. Unde merito prædictus Acacius Apoſtolicæ ſedis, quæ nunc exſecutrix utique ſæpedicti calchedonenſis Concilii pro fide catholica tunc probati non defuit, iterata excommunicatione depulſus eſt.* Nempe lata in Acacium a Felice ſententia refertur ad eam, quam tulit Synodus Calchedonenſis damnationem in Eutychianos, eorumque ſectatores & communicatores : unde iterata optimo ſenſu veriſſimoque dicitur, non quod eam jam ante in Acacium vibraverit Felix, ſed quod eam dicta ſynodus jam primo generatim tulerat.

Ratio, quam ejuſdem ſubdit Felix iteratæ in Acacium excommunicationis expendenda eſt. Ait enim: *ne per eum (quod abſit) nos quoque reddamus complices perditorum.* Quæ verba ſententiam ſpectant primo, ac etiam ſemel

mel latam ; nec enim iterum damnari Acacium opus erat, ne per eum communione perditorum ſedes Apoſtolica pollueretur. Senſum denique eumdem prodit Felix ipſe in epiſtola ad Zenonem de novi Epiſcopi Euphemii ordinatione, ubi hæc habet: *dum per ſynodum Calchedonenſem, quam ſe dudum litteris deſignavit tua clementia venerari, Eutychem atque Dioſcorum conſtet eſſe damnatos; & eorum ſectatores plurimis illarum partium documentis Timotheus & Petrus extitiſſe monſtrentur, atque eorum communionem etiamſi prohibitam ſequutus Acacius, quos ipſe epiſtolis ſuis hæreticos dixerat eſſe damnatos, ſententia illius Concilii convincuntur adſtringi, & in ipſorum pœnam merito recidiſſe, quorum elegere conſortium: ſicut in cæteris hæreſibus facta ſemel ſynodus abjecti cujuslibet erroris cunctos ſequaces conſequenter involuit*. Perinde ſine dubio eſt, recidiſſe Acacium in ſententiam ſynodi Calchedonenſis, ac ipſum iterata ejuſdem ſynodi excommunicatione depulſum fuiſſe, cum Felix ex dictæ ſynodi forma ipſum perculit anathemate. Satis eſt, vel ſemel a Felice damnatum ipſum fuiſſe, ut in pœnam Eutychianis perſcriptam a ſynodo Calchedonenſi recidiſſe dicatur: ac ſatis erit, in eamdem recidiſſe pœnam per ſententiam a Felice ſemel latam, ut depulſus dicatur iterata excommunicatione.

D 4 XII.

XII.

Una celebrata eſt Romana ſynodus in Acacii cauſſa anno CCCCLXXXIV. *in eaque ſemel ipſe damnatus*.

SEd neque vetuſta hiſtoriæ Acacianæ, quæ ſuperſunt documenta, ſecundam hanc ingerunt, quam refello, Epiſcopi Conſtantinopolitani damnationem. Id evinco geſtorum producta ſerie, eorumque diligenti inito examine: quod ego dum inſtituo, quæ nota ſunt paucis recolo; alia plura ſatis illuſtrare mihi videor. Vitalis & Miſeni directa legatio eſt Conſtantinopolim poſt ſilentii quinquennium a Felice anno quadringenteſimo octogeſimo tertio: eiſque præter (*p*) epiſtolas ad Acacium & Zenonem, duo ſingulares traditi ſunt libelli, ut offerrentur, alter admonitionis & citationis Acacio, alter contra ipſum Acacium Zenoni. Primus incipit, *Epiſcopali diligentia commonente*; alter, *cum ſibi redditam pacem*: quos (*q*) Baronius vulgavit ex Creſconiana collectione. Præter epiſtolas Acacio ſcriptas, libellum citationis nullum a Felice datum eſſe,

(*p*) I. II. in coll. Labb.
(*q*) ad Ann. CCCLXXXIII. num. 5. & ſeqq.

con-

confidenter ſcribit (*r*) Ludovicus Ellies Dupinius, inter ſuppoſititios confictoſque fœtus libello qui circumfertur amandato. Habet ille ſibi manifeſte adverſum Gelaſium Papam in (*ſ*) epiſtola vulgata ad Epiſcopos Dardaniæ, ubi tum literas memorat, tum libellum citationis his verbis: *Epiſcopalis quoque directa legatio eſt, ac nihilominus pagina deſtinata, quæ præmoneret, eum ſuorum ante meminiſſe geſtorum, & quæ primitus pro fide catholica deſudaſſet oportere reſpicere: conteſtans & blandiendo pariter & minando, ne ſe a corpore catholicæ unitatis abſcinderet.* Hæc epiſtolæ ad Acacium per legatos miſſæ ſumma eſt. *Simulque* (pergit Pontifex, ac innuit citationis libellum) *quoniam hunc Joannes ſecundæ ſedis Antiſtes gravibus pulſaret objectis ad primæ ſedis audientiam cohortatus eſt.* Pulſus nempe Alexandria Romam venerat Joannes Talaja, quo etiam vocaverat rationem primæ ſedi redditurum Acacium. Nec Joanni tamen ſatis ille fecit, nec judicium ſedis Apoſtolicæ ſubire voluit; unde Gelaſius idem, ſic vellicat ibidem refractarium hominem: *cur* inquiens, *ipſe in nova cauſſa, quam Synodus nulla præceſſerat, Joannem, quem ſuis literis*

(*r*) Tom. IV. Bibl. auct. Eccl. in Felice III.
(*ſ*) XIII. in coll. Labb.

impe-

impetebat qualemcumque ſecundæ ſedis Epiſcopum, in primæ ſedis Beati Petri Apoſtoli judicio confutare deſpexit, & ut cauſſam diceret ſeu per ſe ſeu per alium, vel venire vel deſtinare contempſit... Ecce, inquam, ad legitimum eſt vocatus examen, ubi ſuas partes juſtis allegationibus defenſaret... Ad legitimum judicium poſtulatus adeſſe contempſit. Paria ſcribit (*t*) Evagrius: *Felix*, inquiens, *Vitalem ac Miſenum Epiſcopos ad Zenonem miſit, poſcens, ut Acacius Romam mitteretur*, περὶ ὧν ἰωάννης τὰς εὐθύνας παρέξοντα, *rationem redditurus eorum quæ Joannes ei objiciebat*. Quæ demum ante narrat eadem auctor geſtorum de nomine Acacii. Hæc certe fugerunt plus nimio confidentem Dupinium.

Interim Legati Apoſtolici, cum legationis munus Conſtantinopoli prodidiſſent, ac Romam reverſi eſſent; collecta ſynodo ſeptem & ſexaginta Epiſcoporum anno CCCCLXXXIV. ſacerdotio pulſi & a communione fidelium remoti ſunt. Tum etiam Petrus Moggus, qui legitimo paſtore Joanne Talaja fugato ſedem tenebat Alexandrinam, anathemate perculſus eſt, ita *ad verbum* ἐπὶ λέξεως (*u*) Evagrio teſte, *Synodo* pronunciante: *Petrum hæreticum*

(*t*) lib. III. Hiſtoriæ. cap. XVIII.
(*u*) lib. III. Hiſt. cap. XXI.

qui

qui olim ſacræ ſedis decreto damnatus, excommunicatus, & anathematizatus eſt, Eccleſia Romana non recipit: cui etiamſi nihil aliud objiceretur, vel hoc unum ſufficeret, quod ab hæreticis ordinatus orthodoxis præeſſe non potuit. Hanc Moggi damnationem innuit etiam Felix in (*x*) epiſtola, quam dedit Zenoni poſt ſententiam in Acacium Conſtantinopolim miſſam; de Moggo namque loquens ait; *ipſum per ſynodalem ſententiam nuper eliſum eſſe.* Cauſſa demum Acacii diſcuſſa eſt: dignuſque ille inventus, ut communione catholica interdiceretur, ut narrat (*y*) Evagrius: *iſtud quoque complectebatur*, inquiens, *ſententia: Acacium vero Conſtantinopoleos Epiſcopum graviſſima reprehenſione dignum res ipſa indicavit; quippe qui cum ad Simplicium ſcribens Petrum hæreticum vocaſſet, idipſum Zenoni haudquaquam ſignificaverit: cum tamen ſi quidem Zenonem amabat, id præſtare debuiſſet: verum ille, ut apparet Zenonem magis amat, quam fidem.* Perſcriptam a Felice ſententiam, eamdemque a Synodo probatam placuit Pontifici & Patribus pauliſper ſuſpendere, donec iterum monitus Acacius, male cœptis deſiſteret, communione hæreticorum abſtineret, moremque gereret ſedis Apoſtolicæ mandatis. Rem

(*x*) IX. in collect. Labb.
(*y*) lib. III. Hiſtor. cap. XXI.

ita ſe habuiſſe, narrat Liberatus. Ait (z) ille: *ubi ad plenum detectus eſt Acacius hæreticus, Papa Felix in literis ſuis Synodicis ad Acacium ſic poſuit: peccaſti ne adjicias, & de prioribus ſupplica*. Hiſce Acacius *ſuſceptis literis*, verbis utor Liberati, *perſeverat, neque recedens a communione Petri, neque ſuadens ei palam ſuſcipere Calchedonenſe concilium, & tomum Papæ Leonis*. Quæ dubio procul evincunt, admonitorias fuiſſe prædictas epiſtolas, quas ex ſynodo ad Acacium datas laudatus narrat Auctor. *Hæc cognoſcens Papa Felix* (Liberatum ſequor) *damnationis ſcripturam miſit Acacio per Tutum defenſorem, cujus eſt principium: Multarum tranſgreſſionum reperiris obnoxius &c.* Igitur contempta Pontificis & Romanæ ſynodi admonitione, in hæreticorum conſortio perſiſtit Acacius: qua de re certior factus Felix jam perſcriptam probatamque in ſynodo ſententiam promulgat, Acacioque mittit per Tutum Eccleſiæ Romanæ defenſorem: cui etiam perferendum dedit damnationis edictum, quod publicis locis in urbe Conſtantinopoleos affigi poſſet. Primus illud vulgavit (a) Sirmondus his conceptum verbis: *Acacius, qui ſecundo a nobis admonitus, ſtatuto-*

(z) in Brev. cap. XVIII.
(a) ad calcem Brevic. Eutychian. Tom. IV. Concil. Labb.

.... ſalubrium non deſtitit eſſe contemptor; meque in meis credidit eſſe carcerizandum; hunc Deus, cælitus prolata ſententia, de ſacerdotio fecit extorrem &c. Ubi quæ de litteris admonitoriis bis ad Acacium datis, primo per legatos Conſtantinopolim miſſos, deinde ex ſynodo Romana juxta mitiorem Patrum ſententiam, dicta ſunt, egregie confirmantur.

XIII.

Latæ in ſynodo Romana, ac poſtea promulgatæ ſententiæ tempora definiuntur.

PRomulgata ſententia eſt nomine *Felicis Epiſcopi ſanctæ Eccleſiæ Urbis Romæ:* ſignaturque *Venantii viri clariſſimi conſulatu*, ideſt anno CCCCLXXXIV. *quinto Kal. Auguſti:* quas temporis notas, ſive annum, ſive menſem, ſive diem ſpectes, revocare in dubium non licet. Unde colligo, ab ipſa perſcripta ſententia ac ſtatim pauliſper ſuſpenſa aliquot menſes fluxiſſe ad ejusdem promulgationem, quot opus erant, ut certior fieret de conſiliis Acacii ſedes Apoſtolica, quem iterum monere voluit Synodus Romana, ut reſipiſceret. Veriſſimam puto (*b*) Antonii Pagii conjecturam, qui cenſet verno tempore celebratam eſ-

(*b*) ad Ann. CCCCLXXXIV. num. 9.

*

ſe prædictam ſynodum ; quatuorque circiter poſt menſes promulgatam ſententiam , quæ in eadem ſynodo perſcripta fuerat ſimulque ſuſpenſa . Favet illius ævi mos ; quo bis Romæ quolibet anno cogebantur ſynodi, vere & autumno, ad Eccleſiæ cauſſas expediendas ; quo de more fuſius ago infra num. XVIII. Solius Pontificis nomen ea præfert ſententia , quam nihilominus in Synodo primum latam eſſe de conſenſu ſeptem & ſexaginta Epiſcoporum , evincit ſubſcriptio his verbis poſita : *Cælius Felix Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ catholicæ urbis Romæ ſubſcripſi. Data quinto Kal. Auguſti Venantio viro clariſſimo conſule . Simul ſubſcripſerunt ſexaginta ſeptem Epiſcopi* . Si qua manet, elidit omnem difficultatem Gelaſius Papa in (*c*) epiſtola tum breviori, cum ampliori ad Epiſcopos Dardaniæ: *quæ tamen ſententia*, inquiens, *in Acacium deſtinata*, (*etſi nomine tantumdem Præſulis Apoſtolici , cujus erat utique poteſtatis* ; *legitime probatur eſſe deprompta: præcipue cum ſecreto dirigenda videretur, ne cuſtodiis ubique prætenſis diſpoſitio ſalutaris quibuslibet difficultatibus impedita neceſſarium habere non poſſet effectum ;*) *tamen ... plurimorum in Italia catholicorum congregatio ſacerdotum rationabiliter cognovit* , *ſen-*

(*c*) XIII. in coll. Labb. & Tom. II. op. S. Leonis edit. Queſnell.

ten-

tentiam in Acacium fuiſſe prolatam . In Synodo plurimorum Italiæ Epiſcoporum prolatam ſententiam in Acacium , teſtatur Gelaſius: ſimulque rationes exhibet, ob quas nomine ſolius Præſulis Apoſtolici promulgata fuerit ,

XIV.

Synodus altera in cauſſa Petri Fullonis Romæ anno CCCCLXXXV. *celebratur*.

QUæ poſtea contigerunt , pergo narrare . Scribit Auctor geſtorum de nomine Acacii , ejus jam *damnati audaciam deteriora committentem* , *etiam Petrum Antiochenum* , *ejecto catholico Calendione*, *quem ipſe ordinaverat* , *ad Antiochenam miſiſſe eccleſiam* . Hæc iniqua facinora furentis Acacii poſteriora eſſe damnatione ejus , patet . Conſentit (*d*) Liberatus Diaconus , qui Præſulis ejuſdem depoſitione relata , ſubdit : *interea Calendion Archiepiſcopus Antiochenus deponitur* . Non ipſum per ſeſe ac palam , ſed per Zenonem cui a conſiliis erat callidus homo, hæc feciſſe , nos docet (*e*) Gelaſius: *per ipſum Zenonem* , inquiens ; *qui utique Antiocheno Petro* , *quem introduxerat* , *&* *cujus ſacerdotium comproba-*

(*d*) in Brev. cap. XVIII.
(*e*) in epiſt. XV. ad Ep. Orient. in coll. Labb.

verat.

verat, ſine dubio communione permixtus communicabat Acacius. Nihilominus Gelaſius ipſe paria ſcribit (*f*) alibi, ac Auctor geſtorum de nomine Acacii : *hoc audacter arripuit*, inquiens, *ut Calendionem de Antiochia pelleret; hæreticumque Petrum, quem ipſe quoque damnaverat, abſque notitia ſedis Apoſtolicæ rurſus admitteret*. Tanta Eccleſiæ Antiochenſis accepta Romæ calamitate, Synodus celebrata eſt duorum ſupra quadraginta Epiſcoporum. Supereſt (*g*) epiſtola ex hac Synodo *ad Univerſos Presbyteros & Archimandritas Conſtantinopoli & in Bithynia conſiſtentes*, hoc eſt, ad Monachos presbyteratus honore decoratos data, ubi *cauſſa Antiochenæ Eccleſiæ apud Beatum Petrum Apoſtolum ſe collectos*, teſtantur Patres. In vetuſto codice Manuſcripto, quem vidit Philippus Labbeus, conſulatus exhibetur *Symmachi viri clariſſimi*, qui annum aperuit CCCCLXXXV. ac *dies tertia ante nonas Octobris*. Convenit ſine dubio temporis nota; ſententia namque damnationis quinto Kal. Auguſti anno ſuperiore ad Acacium miſſa eſt; qua ille ſpreta, prioribus deteriora ſucceſſu temporis committere non deſtitit; Antiochena ſede Calendionem catholicum ejecit, ac Fullonem Monophyſitam, quem ante damnaverat, præter fas

(*f*) XIII. ad Ep. Dard.
(*g*) Tom. IV. Concil. Labb.

omne

omne admiſit: quæ veriſimilius anni inſequentis quadringenteſimi octogeſimi quinti partem aliquam occupant. Non ſolum prædictæ literæ in hac ſynodo ad monachos directæ ſunt, ſed aliæ ſimiles, imo *eædem*, ut Patres narrant, *ad clerum*, *plebemque*, & *ampliſſimum ſenatum*.

Hanc eamdem Synodum recenſet libellus ſynodicus his verbis: ἀλλὰ καὶ αὐτὸς Φίληξ ἐν Ῥώμῃ θείαν καὶ ἱερὰν συγκαλεσάμενος σύνοδον Πέτρῳ καθαίρεσιν τοῦ Κναφέως ἀπέστειλεν; *quin & ipſe Felix*, *Romæ divina & ſancta convocata Synodo*, *depoſitionis libellum Fulloni miſit*. Prædictum libellum depoſitionis puto memorari ab Anaſtaſio Bibliothecario in Præfatione collectaneorum: *notandum*, inquiente, *quod nonnulla*, *quæ latine fuerunt edita*, *latinitas funditus mole oblivionis obruta deploraſſet*, *niſi ex græcorum poſt fonte librorum hæc hauſta ſitibundo pectore reſumpſiſſet*, *ſicut epiſtolam Beati Papæ Felicis in Petrum ſententiam proferentem Antiochenum damnationis*. An vero quas innuit Anaſtaſius, illæ dicendæ ſint quæ circumferuntur græcæ contra Fullonem epiſtolæ, quibus Felicis nomen inſcriptum eſt, non conſentiunt Viri docti, Baronius, Valeſius, Pagius.

XV.

De ſynodico libello depoſitionis ad Fullonem miſſo agitur.

QQuod inter eos diſſidium verſatur, paucis referendum eſt, ut clarius conſtet de ſynodico libello depoſitionis, quem Fulloni ex hac ſynodo miſit Felix. Putat (*b*) Baronius, monophyſitam hunc hominem a Felice Papa damnatum fuiſſe in Romana ſynodo anno ccccLXXXIII. celebrata: ab eoque tres epiſtolas datas, ad Fullonem duas, tertiam ad Zenonem, quæ Græce & Latine circumferuntur in collectionibus conciliorum. Incipit prima: τίς δώσει τῇ κεφαλῇ μου ὕδωρ; *quis dabit capiti meo aquam*: ubi Fullo monetur ut reſipiſcat, ejuſque ſinguli confutantur errores. Initium alterius eſt: ἐπειδὴ δυστυχῶς ἐξεμαγεύθης ἐν ἀσεβείᾳ λόγων: *quoniam importabilibus verbis* (ut prima latina verſio habet) *impie garrulaſti*; vel *peſtiferis* (ut in alia verſione legitur) *doctrinis imbutus*: in eaque ſententia fertur in hæreticum depoſitionis. Tertia ad Zenonem Auguſtum datur, ut ab homine caveat damnato: eademque ſic incipit: πρέπει τῇ σῇ φιλανθρωπίᾳ;

(*b*) ad Ann. ccccLXXXIII. num. 56. & ſeqq.

con-

convenit clementiæ tuæ. Falli Baronium probant (*i*) Valeſius & (*l*) Pagius; qui tamen conſentiunt, Fulloni ab Acacio Conſtantinopoli, & Romæ a Simplicio anno cccclxxviii. anathema dictum eſſe, iterumque latam in ipſum anno cccclxxxv. a Felice damnationem in ſynodo, qua de agimus. At ille prædictas epiſtolas rejicit omnes, veluti falſas & confictas: pro legitimis eas habet iſte; duaſque priores ad Romanam Simplicii Synodum anni cccc xxviii. tertiamque refert ad Synodum Felicis hoc anno cccclxxxv. celebratam.

Damnatum ego Fullonem anno cccclxxviii. ab Acacio Conſtantinopoli, & a Simplicio Romæ, ac rurſus a Felice, anno cccclxxxv. nullus dubito. Acacianam ſynodum memorat laudata epiſtola ad presbyteros & monachos Conſtantinopoleos & Bithyniæ, his verbis: *adjectum*... *quod Acacius Joannem illum* Codonatum *Tyriorum Eccleſiæ fecerit* anno cccclxxxii. *præſidere: qui Apamenis a Petro Antiochenæ Eccleſiæ tyranno fuerat Epiſcopus ordinatus*, (poſt annum ſcilicet cccclxxvi. quo Fullo ipſe, favente Baſiliſco, ſedi Antiochenæ reſtitutus eſt;) *ſed minime receptus, proprio ordinatore* (Fullone anno cccclxxviii.) *depulſo, eamdem ſedem non timuit occupare: Quos tunc*

(*i*) in differt. de Petro Antioch. cap. 3. & 4.
(*l*) ad Ann. cccclxxviii. num. 4. & ſeqq.

(anno eodem cccc xxviii.) *hypocrita Acacius ita fecit ab Apoſtolica ſede damnari*, *ut his etiam chriſtianorum vocabulum tolleretur; quod geſta apud eum habita manifeſtant*. Synodum ab Acacio contra Fullonem in urbe regia celebratam, hæc ſignificant poſtrema verba. Sed aliam quoque Romæ adverſum ipſum eodem anno coactam fuiſſe a Simplicio, verba illa declarant, ac evincunt: *quos tunc hypocrita Acacius... fecit ab Apoſtolica ſede damnari*: ejuſdemque demum Fullonis anno ccccLxxxv. novo examine Romæ ob nova ejus crimina diſcuſſam cognitamque fuiſſe cauſſam, teſtantur Patres in epiſtola, quam illuſtro: *nunc*, inquiunt, *cauſſa Antiochenæ eccleſiæ ad B. Petrum Apoſtolum collecti*.

In hac ſynodo latam fuiſſe Fullonis depoſitionem, miſſamque ad ipſum, narrant aperte auctor laudatus libelli ſynodici, & Anaſtaſius Bibliothecarius. Si genuina dicenda ſit epiſtola, quæ incipit, Ἐπειδὴ δυστυχῶς ἐξεμαγεύθης ἐν ἀσεβείᾳ λόγων, quave depoſitio Fullonis ac damnatio continetur; Pagio certe conſentio, eam referenti ad Romanam Simplicii ſynodum anno cccc. Lxxviii. celebratam. Rem probant validiſſime, quæ leguntur in ea verba: nempe, *firma ſit hæc tua depoſitio a me*, *& ab his qui una mecum Apoſtolicum thronum regunt*, καὶ Ἀκακίου τοῦ τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας ποιμένος, *& ab Acacio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ paſtore*, *&*

a venerabilibus Epiſcopis ſibi ſubjectis καὶ τῶν αὐτῶν μὴ ἀνασχόμενος ὑπομνημάτων, *quorum monimenta*; ſeu monita, *non ſuſtinuiſti*. Hæc enim verba datam epiſtolam probant *eo tempore*, *quo* (m) Pagi verbis utor, *Acacius cum Pontifice Romano conſpirabat*, *& conſentiebat*. *At numquam*, recte monet ille, *inter Felicem & Acacium convenit; quinimo in prima epiſtola*; per Vitalem & Miſenum legatos miſſa; *Felix queſtus eſt*, *Acacium a deceſſoribus ſuis incitatum literis*, *velut obſtinato ſilentio nihil quicquam voluiſſe referre: cum e contra certo conſtet*, *uno animorum conſenſu Fullonem damnaſſe*, *Simplicium in ſynodo Romana*; *& Acacium in Conſtantinopolitana*.

Sed aliam epiſtolam Zenoni Auguſto datam, quæ incipit; *convenit clementiæ tuæ*, ad Synodum pertinere Felicis, qua de agimus, anno cccc_xxxv. coactam, contendit Pagius: Mirum; potuiſſe Pagium, prædictam referre epiſtolam ad Synodum Simplicii ob allata verba; & hanc ſynodo Felicis tribuere, cum paria vel eadem in ipſa legantur verba! Ait ſcilicet Pontifex: *multumque a nobis*, *& in Chriſto dilectis fratribus noſtris*, *qui in Oriente ſunt*, καὶ τοῦ θεοσεβεστάτου ἀρχιεπισκόπου Ἀκακίου τῆς παρ' ὑμῶν βασιλευομένης καὶ φιλοχρίστου πόλεως πα-

(m) ad an. ccccLxxviii. num. 6.

 ραι-

παιδευθεὶς, *& a venerabili Acacio veſtræ regalis & a Deo amatæ civitatis Archiepiſcopo admonitus, converti noluit*. Nil differunt in ea, quæ pars eſt argumenti præcipua. Quomodo vero Fullonem, ut reſipiſceret, admonitum diceret in Synodo hujus anni ccccLxxxv. Felix ab Acacio, quem, *Calendione Epiſcopo ſancto nuper ejecto* (poſt ejus damnationem anno ſuperiore ccccLxxxiv. latam) *Petrum toties & a ſe ante damnatum in ejus immiſiſſe Antiochenam Eccleſiam*, teſtantur ejuſdem Synodi Patres? Ait (*n*) ille, in hac Synodo prædictam a Felice datam epiſtolam, colligi poſſe *ex ejus lectione, quæ eo tempore ſcripta eſt, quo Zeno obſtinata mente Fullonem in Antiochena Eccleſia ſedentem tuebatur*, anno ſcilicet ccccLxxxv. *parumque de Pontificis monitis curabat*. Imo ſolum Pontificis monita leguntur, ut Virum Monophyſitam pellat Zeno, fidem vindicet ac tueatur Synodi Calchedonenſis, ac immunem errore civitatem ſervet Antiochenam: quæ maxime conveniunt omnia Simplicio. Inquit enim epiſtolæ auctor: *meæ venerabilitatis vinculum diſſolvi non permittas: Domini Chriſti, & unigeniti Filii Dei laudationem tranſgredi non ſinas: Petrum Arrianæ ſuperſtitionis ſequacem ab Eccleſia Antio-*

(*n*) loco cit.

tio-

tiochena expelle: hæreticam tyrannidem Petri quam citiſſime eradica: ab Eccleſia depoſitum ad communionem non ſuſcipias: pro ipſo conſtituite virum, operibus ſacerdotium ornantem, cuſtodemque diligentem ſanctæ Calchedonenſis Synodi. Mens obſtinata Zenonis, ac injuſta Fullonis defenſio nulla apparet. Sollicitudinis Apoſtolicæ ferventiſſimæ ſunt admonitiones, ut eccleſiaſticam hæretici depoſitionem validiſſime exequatur Princeps auguſtus. Nihil eſt, quod Simplicio ejuſque Synodo repugnet. Anno certe quadringenteſimo ſeptuageſimo octavo, ejecto primum Fullone, ac deinde Joanne Codonato, qui ſedem illam Antiochenam tres menſes occupatam tenuit, Stephanus ſenior ſucceſſit, qui juxta Pontificis optata *operibus ſacerdotium ornavit*, ac *diligens* ita *fuit ſanctæ Synodi Calchedonenſis cuſtos*, ut martyrio vitam conſummaverit ab hæreticis trucidatus. Digna quoque ſunt animadverſione illa verba: τὴν τῦ δεσπότυ χριςῦ ϗ̀ μονογενῦς υἱοῦ τῦ θεῦ ἐπωνύμιαν μὴ συγχωρήσῃς παραβιασθῆναι; *Domini Chriſti & unigeniti Filii Dei laudatinem tranſgredi non permittas*. Hæc non alia Chriſti laudatio eſt, quam ſacrum Τρισάγιον, quod a Fullone paullo ſuperius depravatum fuiſſe narratur, διὰ τῦ ἐνθέσθαι ἐν αὐτῷ, ὁ ςαυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, *cum illi addere voluit, Qui crucifixus es pro nobis*. Quod impium ſane additamentum anno cccclxxviii. Con-

ſtantinopoli damnavit Acacius, ac Romæ Simplicius: aliaque de cauſſa Fullo anno cccc. lxxxv. a Felice depoſitus eſt.

Hanc igitur contra Fullonem datam epiſtolam ad Zenonem Auguſtum, quam legitimam putat Pagius, debuerat Felici abjudicare, ac tribuere Simplicio, ejuſque Synodo Romanæ anno cccclxxviii. celebratæ. An vero tres iſtæ genuinæ dici debeant epiſtolæ, an ſpuriæ & ſuppoſititiæ, diſſident viri docti: quam dirimere quæſtionem hujus loci non eſt, neque id argumenti ratio poſtulat. Rem differit ampliſſime Michael Lequenius in Diſſertatione iv. Damaſcenica: mihique ſatis fuit de Pagii ſententia diſputare. Monere ſolum præſtat, diſcernendum eſſe a prædictis tribus epiſtolis, quæ græce & latine habentur in collectionibus Conciliorum, ſynodicum libellum depoſitionis ex Romana Synodo Felicis ad Fullonem miſſum; nec illum dici poſſe epiſtolam, quæ ſupereſt, *ad univerſos Presbyteros & Archimandritas Conſtantinopoli & in Bithynia conſiſtentes*. Illo nova irrogabatur Fulloni, qui ſedem Antiochenam nuper occupaverat, ſententia depoſitionis: hæc pœnam irrogatam ſolum narrat, aliaque ex cauſſa, quam mox declaro, ab Epiſcopis Italiæ Romam convenientibus ad Synodum, ſcripta eſt. Vidit autem libellum eundem depoſitionis latine ex græco verſum Anaſtaſius Bibliothecarius, qui

modo

modo deſideratur, & excidit, aut forte latet in pluteis: eumdemque puto, minus recte ab (*o*) Henrico Noriſio confundi cum vulgata Fullonis depoſitione.

XVI.

Semel in Acacium in priore ſynodo Romana latam eſſe damnationem, confirmatur ex epiſtola ſynodi poſterioris ad Presbyteros & Archimandritas.

EPiſtolam ergo laudatam *ad univerſos Presbyteros, & Archimandritas Conſtantinopoli & in Bithynia conſiſtentes*, diligentius expendo, quam eorum quæ dicta ſunt validiſſimum puto documentum. Incipit *olim nobis*. In ea primum fides Monachorum Conſtantinopoleos & Bithyniæ, eorumque *in vera pietate conſtantia*, ac *induſtria diſcernendi juſtos ab impiis, fideles ab infidelibus, catholicos ab hæreticis*, effuſa laude commendatur. Tum *quæ acta ſint* in Legatorum Vitalis & Miſeni, & Acacii cauſſa recolunt ac *memorant* Patres. Legati *noſtro judicio conſtituti*, inquiunt, *cauſſas mandatæ ſibi pro fide legationis exponere* juſſi ſunt: unde colligo, eoſdem Epiſcopos,

(*o*) Differ. in hiſt. contr. *de uno ex Trinit. paſſo*, cap. 2.

qui

qui hoc anno ccccLxxxv. in cauſſa Petri Fullonis congregati ſunt, Concilio interfuiſſe anno ſuperiore in eorundem cauſſa legatorum, & Acacii celebrato. Pergunt illi: *prævaricatores mandatæ ſibi legationis , circumveniente & opprimente Acacio, reperti ſunt:* imo *lectis Acacii literis, quas ipſi detulerant*, palam coramque factum eſt, *unum atque idem a Petro* Moggo *Acacioque ſentiri;* eoque perveniſſe Acacii audaciam, ut *Joannem illum* Codonatum *Tyriorum Eccleſiæ fecerit præſidere* anno ccccLxxxII. *qui Apamenis a Petro Antiochenæ Eccleſiæ tyranno fuerat Epiſcopus ordinatus*, atque ab ipſo Acacio cum aliis hæreticis anno ccccLxxvIII. jam diris devotus, ac anathemate percuſſus.

Hæc ſunt iniqua Conſtantinopolitani Epiſcopi facinora. *His ergo deterioribus compertis*, inquiunt Patres , *Vitalem atque Miſenum a ſacerdotali collegio & ſacroſancta communione ſuſpendimus: Acaciumque membris Chriſti perniciofius inhiantem, & per civitates atque provintias unam de fide catholica Eccleſiam diſſipantem,inter epiſcopos,ac inter chriſtianos judicavimus non haberi.* En ſententiam damnationis, qua Patres anno antecedente ccccLxxxIv. cum Felice Papa dignum judicaverunt Acacium. Cui damnationi, dum hæc illi referunt, adhærentes, *ne totiens*, inquiunt, *extinctæ Eutychianæ peſtis hæreſeos , cujus Acacius defenſor eſt*

&

& patronus, ſerpens ut cancer, Chriſti membra diſperderet, cum jam nunc e corpore Eccleſiaſtico ut partem putridam anathematizamus, ſententia memorata abſciſſum. Quæ verba novam non efferunt ſententiam; ſed memoratam ac anno ſuperiore in Synodo, cui & ipſi interfuerant, perſcriptam iterum exprimunt. Verba quæ ſequuntur: *& ut caritas veſtra poſſit agnoſcere, venerandas Synodos Nicænam & Epheſinam priorem & Calchedonenſem, contra Neſtorium & Eutychetem impiiſſimum nos tenere &c*, ſatis indicant, quod (*p*) Baronius monet, his literis inſtructionem rectæ fidei adtexuiſſe Synodi Patres.

Perſcriptam in Synodo ſententiam in Acacium clare memoratam habes a Patribus: referunt illi modo promulgationem ejus aliquo poſt tempore factam. Inquiunt enim: *poſt illam ſententiam quæ in Acacium perturbatorem totius Orientis Eccleſiæ dicta eſt, his quoque nunc congregati addicimus* (*vel addidimus*) *literis, memoratam ſubdendo ſententiam, quam placuit per Tutum defenſorem Eccleſiæ Acacio dirigi*. Ubi adverbium illud *poſt* ita conſtrui debere videtur, ut ad ſequens periodi membrum pertineat hoc modo: *illam ſententiam* (qua nempe judicatum eſt, inter Epi-

(*p*) ad Ann. ccccLXXXIV. num. 25.

ſco-

ſcopos atque inter chriſtianos non eſſe habendum Acacium) *quæ poſt in eundem perturbatorem totius Orientis Eccleſiæ dicta eſt* (cum ſpreta ab Acacio ſecunda ſedis Apoſtolicæ admonitione, quæ jam perſcripta in ipſum fuerat in ſynodo ſententia, promulgata demum eſt quinto Kal. Auguſti) *his quoque nunc congregati* (ob cauſſam Fullonis in poſteriore ſynodo) *addidimus literis, memoratam ſubdendo ſententiam, quam placuit per Tutum defenſorem Eccleſiæ Acacio dirigi*. Quorum verborum ſenſus non eſt, ut (*q*) Valeſio placet, ab hujuſce Synodi Patribus Tuto traditas literas, quas expendo, cum ſententia in Acacium; ſed hanc jam anno ſuperiore per Tutum Conſtantinopoli miſſam, iterum hiſce literis inſertam ad Monachos dirigi. Facti, quod aſſero, cauſſam promunt: *ne volentes aliqui*, inquientes, *circumſcribere veritatem, maligniſſimis blandimentis ſimpliciores quoque ſeducant*. Plures nempe fuiſſe Orientales homines, qui Acacio faventes, jam perlatam a Tuto Conſtantinopolim ſedis Apoſtolicæ ſententiam maligne eludebant, diſcimus etiam ex (*r*) epiſtola Gelaſii ad Epiſcopos Dardaniæ, ubi hæc habentur: *ob hoc eum videri nolebant eſſe damnatum, quia ſe cognoſcebant*

(*q*) in Diſſert. de duabus Syn.
(*r*) XIII. in coll. Labb.

in eadem prævaricatione damnatos. Unde, ad refellenda, quæ prætexebantur, malignisſima blandimenta, e re ſua cenſuerunt eſſe Patres, rurſus ad eos prædictam ſententiam dirigi debere, ne ullus conſilium ſedis Apoſtolicæ ignoraret. Rationem aliam ſuggerunt, quæ id eos facere perſuaſit, quia *ſi terra marique*, inquiunt illi, *orthodoxis non ponerentur inſidiæ, plurimi ex nobis cum eadem Acacii ſententia venire potuiſſent* (anno ſcilicet antecedente, cum Tuto perferendam eam tradiderunt;) ac ipſi oretenus, quæ fingebantur blandimenta, refutaſſent. Hanc eamdem rationem profert Gelaſius in utraque ad Epiſcopos Dardaniæ breviore & ampliore epiſtola his verbis: *præcipue cum ſecreto dirigenda videretur, ne cuſtodiis ubique prætenſis diſpoſitio ſalutaris quibuslibet difficultatibus impedita neceſſarium habere non poſſet effectum*.

Quam ipſi vero Conſtantinopolim proficiſcentes perferre non potuerunt latam in Acacium ſententiam, Tuto perferendam tradidere anno antecedente, ac rurſum hoc anno CCCCLXXXV. in cauſſa Fullonis congregati literis ad Monachos datis inſertam dirigi curarunt. Ajunt enim: *unde nunc cauſſa Antiochenæ Eccleſiæ apud B. Petrum Apoſtolum collecti, rurſum dilectioni veſtræ, more qui apud nos ſemper obtinuit, properavimus indicare*, Morem obtinentem Romæ declarant, ac pro

ſuæ

ſuæ ſollicitudinis officio ſe rurſum jam latam ſententiam ac per Tutum miſſam ad ipſos dirigere ſcribunt. Mos erat in eo poſitus, ut ſynodi Romanæ decretis ſolius Pontificis nomen inſcriberetur, quod etiam ſolum præferebat ſententia in Acacium. Nam *quotiens intra Italiam*, eorum verba ſunt, *propter Eccleſiaſticas cauſſas, præcipue fidei, colliguntur Domini ſacerdotes, conſuetudo retinetur, ut ſucceſſor Præſulum ſedis Apoſtolicæ ex perſona cunctorum totius Italiæ ſacerdotum, juxta ſollicitudinem ſibi Eccleſiarum omnium competentem, cuncta conſtituat, qui caput eſt omnium*. Sequuntur ac monent, ſententiam in Acacium, *quam placuit ſanctæ ſynodo apud Beatum Petrum Apoſtolum, ſicut diximus, dirigi per Tutum Eccleſiæ defenſorem, & beatiſſimus vir Felix caput noſtrum, Papa, & Archiepiſcopus judicavit*, anno antecedente, *in ſubditis contineri*. Hactenus de Acacii damnatione lata in Synodo anno cccc xxxiv. deinde pauliſper ſuſpenſa, ac demum promulgata, atque ſolius Pontificis nomen exhibente, quæ acta fuerant *memorantes*, ſcribunt Patres.

XVII.

XVII.

Quæ poſt Acacii damnationem in prima ſynodo contigerunt, narrat eadem epiſtola, nullo novæ ſententiæ indicio facto.

QUæ poſt Acacii damnationem contigiſſe narravimus, non prætermittunt Epiſcopi in hac Synodo Romana congregati. Cervicem ambitioſi Præſulis, tametſi anathematis fulmine percuſſam, fractam non eſſe, referunt Auctor geſtorum de nomine Acacii, & Liberatus; verum ipſum in deteriora prolapſum, Calendione ejecto, Petrum Fullonem throno Antiocheno impoſuiſſe. Paria ſcribere pergunt Patres: *Sic autem Acacius*, inquientes, *impietatem peſtiferæ damnationis tetendit, ut etiam dejectus* (jam ipſum damnatum fuiſſe colligis) *inſultet, ut ſciſſus ſævire non deſinat; & cum omnino extra corpus habeatur, ejus tamen membra dilaceret... Adjiciens deteriora prioribus, perſequendo jam mortuos, ejus anima graviter delinquendo, condemnationem ſecundæ mortis incurrit. Qui, Calendione Epiſcopo ſancto (quemadmodum cognovimus) nuper ejecto, Petrum* Fullonem *toties, & a ſe ante damnatum in ejus immiſit Eccleſiam: ita ut plurimi (ſi verum eſt) catholici ceſſerint, relictis ſuis ſedibus, ſacerdotes, & noſtræ pro-*

jectæ

jecta ſint porcis & canibus margaritæ . Plana & expedita ſunt omnia.

Verba illa, *condemnationem ſecundæ mortis incurrit*, expendunt Valeſius & Pagius, quibus putant, ſecundam exprimi in hac ſynodo latam Acacii damnationem. Falluntur aperte. Senſus obvius ac veriſſimus eſt, Acacium qui ex damnatione lata excitari debuerat ad pœnitentiam, prolapſum eſſe in nova delicta, quibus *condemnatio* infertur *ſecundæ mortis*, quæ mors animæ æterna in inferno eſt. Digna ſunt animadverſione verba illa, *perſequendo jam mortuos*; aliquos enim innuunt ſynodi Patres, qui mortem corporis obierunt: & huic mortem animæ contraponunt, quam prædictos *mortuos perſequendo* incurrerit Acacius. Mortuum certe catholicum Timotheum Solofaciolum perſecutus ille eſt, cum audaciſſimum Moggum, qui *violavit ſepulturam* ejus (teſte Felice in tenore ſententiæ) *crediderit ipſe excuſandum*. Narrat etiam (*ſ*) Nicephorus Calliſtus ex Baſilio Cilice ſcriptore ſynchrono, Monachorum Dienſium vel Acæmetarum, propterea quod ipſi tradiderunt Acacio ſedis Apoſtolicæ ſententiam a Tuto Conſtantinopolim perlatam, aliquos *occiſos fuiſſe*: quorum memoriæ, qui (*t*) veluti martyres a ca-

(*ſ*) lib. xvi. hiſt. cap. xvii.

(*t*) in Martyrol. Baron. die viii. Febr. & ad an. ccccclxxxiv. num. 34.

tholicis habiti ſunt, inſultaſse Acacium crede-re par eſt. Ecce quomodo *perſequendo jam mortuos, ejus anima graviter delinquendo, condemnationem ſecundæ mortis incurrit*. Sumpta locutio eſt ex Apocalypſeos libro capite 11. ℣. 11. & capite xx. ℣. 6. ubi de *morte ſecunda* agitur, quam præ corporis morte ſcribit Joannes timendam eſſe. Adeo vero nulla mentio novæ depoſitionis, & excommunicationis injicitur, ut Epiſcopi verbis, quæ ſequuntur, ſolum adhortentur, monachos in ſententia jam lata, & his quas dirigunt inſerta literis, conſtanti animo perſiſtere. Inquiunt ſcilicet: *verumtamen neminem terreat, quod damnatus Acacius non quieſcat. Eliſus eſt Satanas, & tamen operatur. Vicit Chriſtus & vincit, nec adhuc hoſtis abſiſtit. Et quia certum eſt nobis, meminiſſe vos etiam propheticæ lectionis, nec aliquid habere contra conſiſtentia caſtra formidinis; opportuniſſime cohortamur expectantes Dominum, ut, ſicut & nos, perſeveretis in finem, & ſententiam, quam reperitis in ſubditis, animo conſtanti retineatis.*

Claudunt epiſtolam, ut ea perferri poſſit ad ipſos, *vitatis inſidiis*, divino implorato auxilio, bene precantes. Epiſcoporum denique ſubſcriptiones hoc modo ſequuntur: *Candidus Tiburtinæ civitatis Epiſcopus Petro Alexandrinæ Eccleſiæ pervaſori, & Acacio quondam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ*, *nec non etiam Petro*

Antiocheno ab Epiſcopatus & chriſtianorum numero olim jure & merito ſegregatis, omnibuſque ſequacibus eorum, ſequens auctoritatem ſedis Apoſtolicæ ſecundum noſtrum & Eccleſiæ catholicæ ſtatum juſta deliberatione prolatam, anathema dicens ſubſcripſi. Quadraginta duo Epiſcopi ſimiliter ſubſcripſerunt.

XVIII.

Novam in Acacium latam non fuiſſe in poſteriore ſynodo ſententiam, probat Epiſcoporum ſubſcriptio.

NOn apparet Felicis Papæ ſubſcriptio; unde colligo; novam in Acacium latam non fuiſse in hac ſynodo, præſidente Pontifice, ſententiam damnationis. Cur ſolum Epiſcopi Italiæ hiſce literis ad Monachos directis nomina appoſuerint, cauſsam detego. Quod olim nempe in cauſsa Athanaſii exceperunt Euſebiani, inſtaurarunt modo Græci in cauſsa Acacii, nullam eſſe ejus damnationem obtendentes, quaſi pro ſuo privato judicio Felix; cujus nomen ſolius inſcriptum legebatur, tuliſset eam. Verba primum refero, quibus Julius Romanus Pontifex Euſebianorum ſatis querelæ facit. Inquit enim: *(u) ſi il-*

(u) apud Athanaſ. in Apologet. contra Arianos num. 26. nov. edit.

lud

lud vos commovit, μόνον ἐμὲ γεγραφέναι, *quod ſolus ſcripſerim . . . . . adeſt probabilis & juſta cauſſa. Attamen neceſſum eſt vobis ſignificare, etiamſi ſolus ſcripſerim*, ἀλλ' οὐκ ἐμοῦ μόνου ἐστὶν αὕτη ἡ γνώμη, ἀλλὰ καὶ πάντων τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν, καὶ τῶν ἐν τούτοις τοῖς μέρεσιν ἐπισκόπων; *non ideo mei ſolius eſſe illam ſententiam, ſed & omnium qui in Italia ſunt, & qui in his partibus degunt Epiſcoporum*. Cavillationibus eiſdem poſtmodum egerunt Græci Acacio faventes: & hoc unum eſt e *maligniſſimis* illis *blandimentis*, quibus *aliqui*, ut ſynodi Patres teſtantur, *circumſcribere veritatem volebant*, *ſeducebantque ſimpliciores*;

Voluit Julius epiſtolas Euſebianis ipſe dare, queis eos certiores faceret, ſui tantum ſolius non fuiſſe pro Athanaſio ſententiam, ſed omnium qui in Italia ſunt Epiſcoporum. Id vero potius convenire Felix putavit, ut ipſi Epiſcopi, qui ſententiam in Acacium communi ſuffragio in priore ſynodo Romana probaverant, propriis ſingulorum ad eludendas Græcorum exceptiones appoſitis nominibus, eam in ſynodo poſteriore munirent. Dirigunt ergo *ad clerum*, *ad plebem*, *ad ampliſſimum ſenatum*, *ad Presbyteros & Archimandritas Conſtantinopoleos & Bithyniæ* literas; quibus teſtantur 1. ſe *inter Epiſcopos ſanctos atque inter chriſtianos judicaſſe non haberi* Acacium. 2. ſententiam in ipſum *poſt per Tutum Eccle-*

ſiæ defenſorem directam eſſe. 3. ſolius Pontificis nomen inſcriptum apparere pro *more qui apud eos ſemper obtinuit*. 4. *maligna* eſſe ad capiendos ſimpliciores, quæ fingebantur *blandimenta*. 5. literis hiſce eamdem inferi ſententiam, quæ animo conſtanti retinenda eſt. Subſcribunt demum duo & quadraginta Epiſcopi, quorum primus eſt *Candidus Tiburtinæ civitatis Epiſcopus*, ut cavillantium Græcorum ora obſtruantur; atque Moggum, Acacium, Fullonem, in ſententia condemnationis jam lata perſiſtentes, diris devovent ac anathemate percellunt.

Inquies forte, novam eſſe, quæ fertur in Fullonem ſententiam, ut num. XIV. & XV. diximus; cur etiam geminata non fuerit in Acacium? Hanc ego repono non eſſe hujuſce Romanæ Synodi in cauſſa Fullonis celebratæ ſynodicam epiſtolam, qua ejus continebatur iterata depoſitio: aliam diſtingui oportere, de qua num. XIV. & XV. actum eſt: adeoque in prædicta epiſtola ad monachos Conſtantinopoleos & Bithyniæ repeti ſolum a Synodi Patribus jam latam etiam in Fullonem ſententiam, novamque non ferri nec cudi; quo pacto hæreticos frequentius anathematizari citra novam ſententiam in more poſitum eſt. Inquies rurſus: nova crimina Acacii qui Fullonem Antiochenis, legitimo pulſo paſtore, præfecit, eique communione ſe junxit, novo ana-

anathemate percelli debuiſſe. Imo conſtat, ad mortem uſque Fulloni communicare palam noluiſse Acacium, teſte Gelaſio in (*x*) epiſtola ad Orientales Epiſcopos: *an dicturi eſtis*, inquiente, *& Antiochenum Petrum fuiſſe correctum, cui uſque in finem ſe non communicaſſe gloriatur Acacius?* Ab Acacio quidem Fullonem Antiochiam miſsum poſt ejectum Calendionem, ſcribit Auctor geſtorum de nomine Acacii: verum id intelligendum ſic eſse; exponit ibidem Gelaſius, ut *per Zenonem Imperatorem, qui utique Antiocheno Petro, quem introduxerat & cujus ſacerdotium comprobaverat; ſine dubio communione permixtus erat, communicaret Acacius*. Clariora demum profert Pontifex idem in epiſtola utriuſque formæ ad Epiſcopos Dardaniæ: *qua ſynodo*, inquiens, *tertiæ ſedis Epiſcopum, ſanctum Calendionem, fecit expelli Acacius: ac nihilominus eidem Petrum tam manifeſtum hæreticum, ut eidem palam nec ſe communicare prætenderet, ſua paſſus eſt diſpoſitione ſubſtitui?* Hæc diſcutere diligentiori examine noluit Synodus Romana? ſatis habuit, Fullonem deponere, qui nuper invaſerat Eccleſiam Antiochenam; & in ſententia ſemel jam lata in Acacium perſiſtere.

(*x*) xv. in coll. Labb.

XIX.

Dupinius refellitur, qui prædictæ ſynodi epiſtolam ad Presbyteros & archimandritas veluti confictam rejicit.

QUa ergo ordinanda ſit ratione damnationis Acacii hiſtoria, quæve in doctiſſimis viris, qui hac de re lucubrationes ediderunt, approbari debeant ac rejici, quiſque jam videt. Invicem cohærent ſibi vetuſtatis quæ ſuperſunt documenta, ac alterum ſuſtinet alterum, ut omnia demum conſpirent in ſummam auctoritatem. Nititur propriis atque ſingularibus momentis damnatio in Acacium lata anno CCCCLXXXIV. quæ fidem conciliant inſequentis anni geſtis: & hæc viciſſim confirmant quæ anno ſuperiore acta narravimus. Hinc mirari ſubit, Dupinium confidentia ſumma veluti confictam rejicere Synodum, quam celebratam diximus anno CCCCLXXXV. in cauſſa Antiochenſis Eccleſiæ, proque nothis ac ſpuriis habere datas ad monachos Conſtantinopoleos & Bithyniæ literas. Ejus argumenta prætereo, quæ repetit ex præjudiciis Henrici Valeſii; nec enim aliud evincunt, niſi perperam geminari duplicem Acacii damnationem, ac immerito diſtingui duplicem ſynodum intra breve quatuor dierum ſpatium celebra-

ta

tamquæ omnia libentiſſime fateor.

Reliqua ejus momenta hæc ſunt : (y)
„ Onne peut pas ſoûtenir cette lettre e'crite
„ au nom du ſynode de Rome aux Moines
„ & au clergè de Bithynie , aumoins à l'e-
„ gard de la ſeconde partie: car il eſt a re-
„ marquer , qu'elle a deux parties . La pre-
„ miere eſt une narration de la condamna-
„ tion d' Acace , ainſique nous l'avons rap-
„ porte'e, la quelle eſt autoriſe'e par les let-
„ tres de Felix . La ſeconde contient une
„ autre condamnation d' Acace , pour avoir
„ reſtabli Pierre le Foulon: ce qui ne s'accorde
„ nullement avec l'hiſtoire: & l' une & l' autre
„ partie n'eſt point du ſtile du Pape Felix ,
„ particulierment la derniere , qui eſt e'crite
„ d'une maniere impertinente , & qui conti-
„ ent des louanges baſſes en faveur de Felix,
„ qu'il appelle *Caput noſtrum*, *Papa*, *&* *Ar-*
„ *chiepiſcopus*, termes dont on ne ſe ſervoit
„ point en ce ſiecle la . Il y a un ancien ma-
„ nuſcrit, ou cette lettre eſt date'e du mois
„ d'Octobre de l'anne'e CCCCLXXXV. cette da-
„ te eſt viſiblement fauſse: car il eſt dit, que
„ l'on envoyoit cette ſentence par Tutus de-
„ fenſeur. or le voyage de Tutus eſt en CCCC.
„ LXXXIV. Il n'avoit plus cette qualitè en

(y) Tom. IV. Bibl. auct. Eccl. in Felice III.

„ ccccLxxxv. Je paſse ſous ſilence quantité „ d'endroits de cette lettre ſi pitoyables, „ qu'il eſt impoſſible de croire, que ce ſoit „ un ouvrage de temps. „ Hoc eſt latine : *Defendi nullatenus poteſt quæ nomine Synodi Romanæ data dicitur epiſtola ad monachos & clerum Bithyniæ, parte ejus altera maxime ſpectata. Duas illa partes habet, quarum prima narrat Acacii damnationem, ac Felicis epiſtolis eamdem referentibus conſona eſt. Obtrudit altera novam ob intruſum Fullonem in ſedem Antiochenam in Acacium ſententiam: quæ hiſtoriæ documentis non convenit. Dictionis, quæ Felicis propria eſt, neutra pars characterem exprimit; maximeque ſecundæ abſurditas patet in laudibus Felici datis, quem caput noſtrum, Papam & Archiepiſcopum appellare dicuntur Synodi Patres præter ejus temporis morem. Data fertur hæc epiſtola in vetuſto codice manuſcripto menſe Octobri anno* ccccLxxxv. *contra hiſtoriæ fidem; Tutus enim, per quem dicitur hujus ſynodi ſententia miſſa, certiſſime Conſtantinopolim anno antecedente* ccccLxxxIv. *profectus eſt: nec anno inſequente defenſoris Eccleſiæ munere defungebatur. Plura prætereo in eadem epiſtola, quæ antiquitatem minime redolent.*

Errat in limine moroſus cenſor, dum epiſtolam, qua de agimus, *ad monachos & clerum Bithyniæ* datam ſcribit. Data illa eſt *ad*

Pre-

Presbyteros & Archimandritas orthodoxos; hoc eſt, ad Archimandritas presbyterorum honore decoratos, *Conſtantinopoli & in Bithynia conſiſtentes*: aliaſque diſtinctas, licet ſimiles, *ad clerum* directas fuiſſe, in eadem teſtantur Patres. Hac de re conſulere potuiſſet (z) Henricum Valeſium, qui ſimilem errorem Baronii emendat, aliis Felicis productis in exemplum literis, *ad Rufinum & Thalaſſium, Presbyteros & Archimandritas, & cæteros Monachos circa Conſtantinopolim & Bithyniam conſtitutos*. Fallitur etiam cum Valeſio, dum putat, novam in Acacium ob Fullonem in Eccleſiam Antiochenam intruſum ſententiam damnationis in hac epiſtola contineri, ex qua poſtea ſumit argumentum, ut ipſum inſequatur Valeſium: novam enim perſcriptam latamque non fuiſſe damnationis ſententiam, neque hanc epiſtolæ verbis indicari, puto jam me demonſtraſſe. Tutum Eccleſiæ defenſorem narrant Patres, illatam Acacio ſententiam pertuliſſe Conſtantinopolim, quam ipſi rurſum literis inferunt ſuis: at cum ſententia has eaſdem Tuto traditas literas, alio ille arbitratur errore. Stylum, inquit, Felicis non exprimunt. Non abnuo: ſunt enim literæ Epiſcoporum, qui de actis in Acacii

(z) in Diſſert. de Acac. cap. VIII.

caussa

cauſſa Monachos Bithyniæ & Conſtantinopoleos certiores faciunt, ut cavillationibus, quæ circumferebantur, facile poſſent obſiſtere. Cur vero demum abſurdos titulos ac præter ejus temporis morem efferre Patres dicendi ſunt, Felicem appellantes *caput noſtrum*; *Papam*, *Archiepiſcopum*? Sane ævo illo *Papam & Archiepiſcopum* vocant frequentiſſime in actis Concilii Calchedonenſis Leonem Magnum legati ejus: Romanumque Epiſcopum *caput ſuum* ſuſpicere debebant Italiæ Epiſcopi, quorum, ſi pauci excipiantur, unus erat ille eo tempore Metropolitanus. Hæc repoſuiſſe Dupinio ſatis.

XX.

In Romana ſpeciali ſynodo ex Epiſcopis Italiæ coacta Acacius damnatus eſt.

POſtremam attingo difficultatem de ſynodo, ſine qua damnatum fuiſſe Acacium, expoſtulabant Græci. Querelam eorum de Acacio *ſine ſynodo damnato* refert inſignis epiſtola nuper edita. Euphemium, qui Acacio & Flavitæ ſucceſſit in Conſtantinopolitana ſede, vellicat Gelaſiius objicientem, (*a*) *Acacium ab uno non potuiſſe damnari*: eundemque de-

(*a*) in Commonit. ad Fauſt.

mum

num Græcorum prætextum epiſtolis, tractatibus, commonitoriis inſequitur Gelaſius idem. Scilicet *ſine ſynodo* rite ac legitime potuiſſe damnari, damnatumque fuiſſe prævaricatorem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, reponebant Pontifices. Hæc porro legenti in mentem venerit nemini, ut (*b*) putet aut ſuſpicetur, Synodum nullam in cauſſa Acacii, neque Romanam coactam fuiſse, ac in eumdem a ſolo Felice latum vibratumque anathema. *Synodum* enim memorant Auctor geſtorum de nomine Acacii, Liberatus Diaconus, Evagrius ſcholaſticus, Libellus ſynodicus. Ferunt etiam vetuſti codices, *ſeptem* ſupra *ſexaginta Epiſcopos* perſcriptæ ſententiæ conſenſiſse. Teſtantur quoque Patres Romanæ Synodi in cauſſa Petri Fullonis anno CCCCLXXXV. celebratæ, ſe *judicaſſe* anno antecedente, *inter Epiſcopos ſanctos atque chriſtianos non habendum Acacium*. Ac Gelaſius demum in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ bis memorat *plurimorum in Italia congregationem ſacerdotum & Epiſcoporum*, quæ *rationabiliter in Acacium ſententiam cognovit fuiſſe prolatam*:

Locum integrum recito, quo Synodi conditio magis appareat. Ait ille: *Quæ ſententia in Acacium deſtinata, etſi nomine tantum-*

(*b*) in ſupplem. Acac. adnot. 11. Tom. V. Concil. Edit. Venet.

modo

modo Præſulis Apoſtolici, *cujus erat utique poteſtatis*, *legitime probatur eſſe deprompta*; ... *plurimorum tamen in Italia catholicorum congregatio ſacerdotum rationabiliter in Acacium ſententiam cognovit fuiſſe prolatam*: *quæ congregatio facta Pontificum &c.* Verba illa, *cujus erat utique poteſtatis*, ſenſum edunt, reipſa collectam Synodum fuiſse in cauſsa Acacii ex plurimis Italiæ Pontificibus; potuiſse tamen ſine hac ſynodo cauſsam ejus diſcuti ac judicari a Romano Epiſcopo. Hoc eſt, nihil momentanei a Pontificibus decernebatur ſine prævia communi deliberatione, quæ olim pro uſu temporis ac more peragebatur cum Romanæ Eccleſiæ clero, vel cum Epiſcopis Italiæ Romam vocatis. Synodi primi generis exemplum affero, cum Siricius v. g. Joviniani damnavit blaſphemiam, (*c*) *Presbyterorum*, *Diaconorum*, *& totius cleri* habito conſilio. Paſſim occurrunt aliæ ex Italiæ Epiſcopis congregatæ Synodi. Teſtis eſt (*d*) Leo Magnus, *binos in annis ſingulis* (vere & autumno) *Epiſcoporum debere eſſe conventus*, juxta *ſaluberrimum ſanctorum Patrum conſtitutum*. Hæc erat Epiſcopis Italiæ ratio, Romam retroactis ſæculis frequentius proficiſcendi, ut provincia-

(*c*) inter Epiſt. Ambroſ. xxxxi. &ſ eq.nov.edit.

(*d*) epiſt. xvi. alias iv. ad Epiſc. per Siciliam conſtitut. cap. vii.

li

Pontificis concilio intereſſent, ubi Eccleſiæ negotia ad ſedem Apoſtolicam perlata tractabantur. Hujuſce conſuetudinis olim Romæ obtinentis exempla non pauca refert (*e*) Ludovicus Thomaſinus, ac plurima exhibent collectiones Conciliorum. Duas ego ſynodos memoro, quæ celebratæ ſunt ævo Acaciano; alteram ſub ipſo Felice III. triginta & octo Epiſcoporum in cauſſa lapſorum Africæ anno CCCCLXXXVII. die III. Idus Martias; alteram ſub Gelaſio quatuor & quadraginta Epiſcoporum anno CCCCLXXXXV. III. Idus Maii, cum de abſolutione Miſeni actum eſt. Ait ergo Gelaſius loco citato, Felicem potuiſſe pro tradita ſibi, aut Præſuli Apoſtolico ac Romanæ ſedi a Chriſto poteſtate, ſententiam ferre in Acacium, ut ſummum clericorum Romanæ Eccleſiæ præmiſſa conſultatione: nihilominus latam eam eſſe in Congregatione, ſive Synodo ex plurimis Italiæ Epiſcopis coacta. Neque negotium ullum faceſſunt verba, quæ leguntur Felicis nomine dicta, in epiſtola nuper edita, ubi ſibi ſoli videtur Felix ipſe tribuere prædictam ſententiam, dum ait: *neceſſarium mihi fuit abrumpere communionem ejus; & ſententia mea inſolubilis eſt; & videar inconſtans, & meæ eſſe contrarius ſententiæ*. Scru-

(*e*) de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. p. 2. lib. III. cap. XXX. num. 7. & ſeqq.

pulum

pulum quo angitur Marchio Scipio Maffejus, qui hæc proponit diſcutienda, deponat neceſſe eſt, ſi paullo attentius recolat quæ Synodi Romanæ ſecundæ Patres docent, teſtantes, *conſuetudinem retineri, ut ſucceſſor Præſulum ſedis Apoſtolicæ ex perſona cunctorum totius Italiæ ſacerdotum juxta ſollicitudinem ſibi Eccleſiarum omnium competentem cuncta conſtituat, qui caput eſt omnium*. Si cuncta Romanus Epiſcopus ex perſona totius Italiæ ſacerdotum vel Epiſcoporum, qui Romam ad Synodos vocantur, pro vetuſto more conſtituit; quidni quæ communi omnium ſuffragio eduntur decreta, ſibi ſoli ille nom tribuat, qui caput eſt omnium?

Fuerit vero damnatus Acacius in Romana ſynodo, cui præſidente Felice, plurimi interfuerint Epiſcopi Italiæ; cur ergo expoſtulabant Græci, *ſine Synodo* Epiſcopum Conſtantinopolitanum deponi non potuiſſe? Synodum ſpecialem eos intellexiſſe, putant Valeſius & Pagius; eamque in Acacii cauſſa celebratam non fuiſſe, fatentur. Virorum doctiſſimorum mentem & ſententiam non habeo. Cur enim ſpecialis dici non debeat Romana Synodus anni CCCCLXXXIV. in qua legatis prævaricatoribus primum depoſitis, initum ſubinde eſt ſpeciale de cauſſa Acacii examen, lectæ & expenſæ literæ ejus ad Felicem per eoſdem legatos miſſæ, in medium prolata facinora e-

jus eademque cognita, Moggî Eutychiani & hæreticorum communione pollutus inventus, ſeptem & ſexaginta Epiſcoporum explorata conſilia, ac omnium denique conſenſu perſcripta in ipſum ſententia damnationis? Habentur omnia, quæ ſpecialem in cauſſa Acacii, licet non ſolius, Synodum repræſentant.

XXI.

Sine Oecumenica ſynodo Acacium damnari non potuiſſe, contendebant Græci.

PRo certo habeo, Synodum Oecumenicam poſtulaſſe Græcos, quaſi regiæ urbis Antiſtes non potuerit, neque debuerit niſi Generali in Concilio vocari in judicium atque damnari. Demonſtrationem ſuppeditat nuper edita epiſtola *de evitanda communione Acacii*, ubi hæc leguntur: *Poſt quingentos annos conſtituta Chriſti eos velle ſubvertere, cum triginta annorum lex hominum non poſſit abrumpi. Sanctum Athanaſium ideo non fuiſſe damnatum a ſynodo Orientis, quia ſedes iſta non conſenſerit: ſanctum Joannem Conſtantinopolitanum, ſanctum Flavianum. Si ergo ea non conſentiente ſola: qui damnati ſunt a ſynodo Orientis, non potuerunt eſſe damnati, conſequens eſt, etiam ſine ſynodo, qui eadem ſola damnante damnatus fuerit, damnatus ſit.* Laceram

ceram ſententiam ſupplet Gelaſius in (*f*) epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ: *ſed nec illa*, inquiens, *præterimus*, *quod Apoſtolica ſedes frequenter*, *ut dictum eſt*, *more majorum etiam ſine ulla ſynodo præcedente*, *& abſolvendi quos ſynodus inique damnaverat*, *& damnandi nulla exiſtente ſynodo quos oportuit*, *habuerit facultatem*. *Sanctæ memoriæ quippe Athanaſium ſynodus orientalis addixerat*, *quem tamen exceptum ſedes Apoſtolica*, *quia damnationi Græcorum non conſenſit*, *abſolvit*. *Sanctæ memoriæ nihilominus Joannem Conſtantinopolitanum ſynodus etiam catholicorum Præſulum certe damnarat*, *quem ſimili modo ſedes Apoſtolica etiam ſola*, *quia non conſenſit*, *abſolvit*. *Itemque ſanctæ memoriæ Flavianum Pontificem Græcorum congregatione damnatum*, *pari tenore*, *quoniam ſola ſedes Apoſtolica non conſenſit*, *abſolvit*. Argumenti ratio in eo poſita eſt, ut quemadmodum non conſentiente vel abſolvente ſola ſede Apoſtolica, damnati non ſunt qui in alia damnantur ſynodo: ita pro damnatis haberi debeant, quos eadem ſola perculit anathemate. Primam argumentationis partem declarant Pontifices Athanaſii, Joannis Chryſoſtomi, & Flaviani exemplis: factum reſpicit pars altera Acacii. At illos

(*f*) XIII. in coll. Labb. & Tom. II. op. S. Leonis nov. edit.

omni

omni dubio procul innocentes cognovit abſolvitque Romana Synodus, in qua plurimis ex Italia Epiſcopis Romanus præſidebat : unde notum compertumque ſit, Synodi ſolum Oecumenicæ neceſſitatem excludi, quam in Acacii cauſſa poſtulabant Græci.

Rem totam diligentius declaro. Coacti plus quinquaginta Italiæ Epiſcopi in Eccleſia, quæ Vitoni Presbytero commiſſa Romæ erat, Athanaſium coram conſiſtentem anno CCCXXXII. audiunt, (Athanaſium (*g*) ipſum teſtem habeo:) virum ſanctiſſimum, Euſebianorum calumniis cognitis, ad eccleſiaſticam communionem admittendum decernunt: pro irritis habenda factioſorum hominum ſcita definiunt: & ex omnium perſona ſynodicæ abſolutionis literæ ſcribuntur a Julio. Item Flaviano Conſtantinopoleos Epiſcopo in prædatoria Synodo Epheſina inique depoſito negari non debere communionem, decernit *Leo Epiſcopus & ſancta Synodus quæ Romæ convenit* anno CCCC. XXXIX. pluribus hac de re ad Theodoſium Auguſtum, ad Pulcheriam, ad clerum populumque, & ad Archimandritas Conſtantinopoleos miſſis epiſtolis: eademque Synodus *ex plurimis provinciis* in (*h*) literis Valentinia-

(*g*) in Apolog. cont. Arian. n. 20. & ſeqq.
(*h*) apud Baron. ad an. CCCCXXXIX. num. 149. 157. & ſeqq.

ni & Gallæ Placidiæ dicitur congregata. Hæc probant, Synodum Oecumenicam negari, cum Romani Pontifices Athanaſium & Flavianum ſcribunt damnatos non fuiſſe, quia ſola ſedes Apoſtolica eos abſolvit, eorumque damnationi in Synodo Orientis latæ non conſenſit: minime vero ſynodum Romanam rejici, eamque ex plurimis Italiæ Epiſcopis collectam. Neque ergo hæc eadem Athanaſii & Flaviani allata exempla aliud ingerunt, quam Acacium ſine ſynodo Oecumenica damnari potuiſſe, eamque a Græcis præter fas omne poſtulari.

Appoſitiſſimum rurſus Joannis Chryſoſtomi exemplum expendo. Sententiam depoſitionis in ipſum irrogatam a Theophilo Alexandrino in Synodo ad quercum, reſcidit Innocentius Papa anno CCCCIV. una cum (*i*) *Sacerdotibus Italiæ*, qui *pacifica Joanni Epiſcopo communione præmiſſa, ſanciendam concordiam cenſuerunt*. Proviſorium hoc fuit ſedis Apoſtolicæ decretum, quæ tamen gravem cauſſam in ſynodo Oecumenica diſcuti volebat, ne ſi abſque omnium conſenſu Epiſcoporum reſcin deretur in Joannem lata depoſitio, ſchiſma conflaretur. Spes nulla cum ſupereſſet ſynodi generalis celebrandæ, decretorium tandem anno

(*i*) ex epiſt. Honorii Imp. ad Aread. apud Baron. anno CCCCIV. num. 84.

CCCCVII.

cccvii. protulit judicium Innocentius cum Epiſcopis Italiæ & Occidentis, *qui non prius* (Theodoreto (*l*) teſte) *cum Epiſcopis Ægypti & Orientis & Bosphori atque Thraciæ communicare voluerunt, quam nomen illius ſanctiſſimi viri in tabulas, in quibus nomina Epiſcoporum mortuorum* (jam enim mortem obierat Chryſoſtomus) *continebantur, retuliſſent*. Extra ſynodum habes, ſi verba ſpectentur Romanorum Pontificum ſibi à Chriſto datam vindicantium poteſtatem, in irritum miſſa fuiſſe quæ lata fuerant in Chryſoſtomum judicia: eademque reſciſſa in ſynodis Romæ coactis, tradit hiſtoria. Nempe extra ſynodum generalem, cui tamen celebrandæ operam dabat Innocentius, hæc omnia peracta fuiſſe conſtat: nec ſynodus Romana Italiæ & Occidentis Epiſcoporum excluditur, cum hæc feciſſe ſola ſedes Apoſtolica dicitur. Jam ergo cuique intelligere pronum eſt, de ſynodo Oecumenica agi, quam in Acacii cauſſa poſtulabant Græci, eamque neceſsariam non eſse reponebant Romani Pontifices. Græcorum denique mentem ſatis clare exprimit Euphemius, qui *Acacium ab uno non potuiſſe damnari* ſuſtinebat, ab uno ſcilicet Occidentis Patriarcha, aliorum Orientis Patriarcharum inter-

(*l*) lib. v. hiſt. cap. xxxiv.

ventu in ſynodo Oecumenica poſtulato. At enim ego dum Romanam ſynodum ex Italiæ Epiſcopis collectam in Acacii cauſsa exhibeo, factum ſolummodo ſpecto ac narro, non ſedis Apoſtolicæ coarcto poteſtatem. Haud unquam illa in actum prodit ſine prævia diligenti deliberatione, quæ tamen alia & alia pro uſu temporis ac more poteſt eſse, ac olim cum Eccleſiæ Romanæ clero, vel cum Epiſcopis qui bis Romam ad ſynodos proficiſcebantur, peragebatur.

XXII.

Synodum pariter œcumenicam perperam a Græcis poſtulari, tota evincit Gelaſii Papæ ad Epiſcopos Dardaniæ epiſtola.

SYnodum pariter Oecumenicam ſpectant; quotquot Græcis Gelaſius objicit argumenta, ut legitime latam in Acacium propugnet ſententiam. Unam *ad Epiſcopos Dardaniæ* epiſtolam perpendo, ac primaria ſolum profero diſputationis capita. Primo quidem loco ſcribit ille, Acacium novæ hæreſeos architectum non fuiſse, ſed Eutychianæ fautorem: jam ergo in ſynodo Calchedonenſi, quæ damnavit Eutychem, & ipſum alioſque omnes perfidiæ communicatores generali ſententia prædamnatos eſse: ſynodos porro Oecumenicas

menicas non requiri, ut priorum placita ac decreta executioni mandentur: & hanc demum executionis poteſtatem ſedi maxime Apoſtolicæ convenire. Aut abſurdum argumentum eſt, aut una ſynodi Oecumenicæ celebrandæ neceſſitas exploditur. Verba ejus refero. Inquit: *Majores noſtri .. præcaverunt, ut quæ contra unamquamque hæreſim coacta Synodus pro fide, communione, & veritate catholica atque apoſtolica promulgaſſet, non ſinerent poſt hæc novis retractationibus mutilari, ne pravis occaſio præberetur quæ medicinaliter fuerant ſtatuta pulſandi: ſed Auctore cujuslibet inſaniæ ac pariter errore damnato, ſufficere judicarunt, ut quiſquis aliquando hujus erroris communicator exiſteret, principali ſententia damnationis ejus eſſet obſtrictus; quoniam manifeſte quilibet vel profeſſione ſua, vel communione poſſet agnoſci.* Æquiſsimum majorum conſilium, ne ſynodorum aut generalium, aut aliarum quas univerſalis probaverit Eccleſiæ conſenſus, retractationes fierent, exemplis confirmat Sabellii, Arii, Macedonii, Eunomii, ac Neſtorii, eorumque perfidiæ ſectatorum. Tum ſibi ſuæque ſedi collatam divinitus poteſtatem exequendi conciliorum aut univerſalis Eccleſiæ decreta, cum opus fuerit, ſic declarat: *quibus*, inquiens, *convenienter ex paterna traditione perpenſis, confidimus quod nullus jam veraciter chriſtianus ignoret, uniuſcujuſque Sy-*

 nodi

nodi conſtitutum , quod univerſalis Eccleſiæ probavit aſſenſus , non aliquam magis exequi ſedem præ cæteris oportere, quam primam quæ & unamquamque ſynodum ſua auctoritate confirmat , & continuata moderatione cuſtodit , pro ſuo ſcilicet principatu , quem beatus Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum, Eccleſia nihilominus ſubſequente , & tenuit ſemper & retinet. Ad Acacii cauſſam deſcendit: eumque propterea ſine Synodo Oecumenica rite ac legitime judicari, deponi, damnari potuiſſe juxta formam præhabitam adverſus Eutychem ſynodi Calchedonenſis a ſola Apoſtolica ſede, his verbis demonſtrat : *ſi examinatio quæritur*, inquiens ; *jam judicio non erat opus, poſtquam literis ſuis ipſe confeſſus eſt . Si auctoritatis pondus inquiritur , Calchedonenſis ſynodi tenore illius executionis definitio* (in ſynodo Romana lata) *continetur . Damnati* enim *in* (ſynodo Calchedonenſi) *erroris communicator effectus* Acacius, *præfixæ damnationis particeps extitit : quoniam idem ipſe error, qui ſemel eſt cum ſuo auctore damnatus, in participe quolibet pravæ communionis effecto & execrationem ſuam geſtat & pœnam .* Quod argumentum confirmat Gelaſius exemplis adductis Timothei Æluri, & Petri Moggi, quos ipſe Acacius, dum meliora ſentiret, non dubitavit potuiſſe damnari, damnavitque juxta formam ſynodi Calchedonenſis , nova

ſyno-

ſynodo œcumenica non collecta, ſed auctoritate ſolius Apoſtolicæ ſedis impetrata. Ait enim: *quo tenore Timotheus etiam atque ipſe Alexandrinus Petrus, qui ſecundam certe ſedem tenuiſſe videbantur, non repetita ſynodo, ſed auctoritate tantummodo ſedis Apoſtolicæ, ipſo quoque Acacio poſtulante, vel exequente, probantur eſſe damnati*. Ælurum certe, ac ſocium ejus Moggum, aliosque perfidiæ communicatores ab Acacio damnatos fuiſse, produnt ejus litteræ ad Simplicium Papam. Hanc eorum damnationem decretam fuiſſe in ſynodo Orientalium Epiſcoporum ab eodem Acacio Conſtantinopoli congregata, dubitare non ſinunt Synodi Romanæ anni CCCCLXXXV. Patres in epiſtola *ad Presbyteros & Monachos Archimandritas Conſtantinopoli & in Bithynia conſiſtentes* data, ubi hæc habent: *quos* (Monophyſitas illos homines) *tunc hypocrita Acacius ita fecit ab Apoſtolica ſede damnari, ut his etiam vocabulum chriſtianorum tolleretur, quod geſta apud eum habita manifeſtant*. Hæc *geſta* nonniſi ſynodalia intelligi poſſunt: unde Ælurum ſede pulſum fuiſse Alexandrina, & Solofaciolum catholicum reſtitutum ab Acacio in ſynodo Conſtantinopolitana anno CCCC. LXXVIII. & ex hac ſynodo datas ad Simplicium literas, dicendum eſt. Sed etiam Romæ nebulones illos a ſede Apoſtolica tunc damnatos fuiſse, ſatis indicant laudata ver-

ba ; ac facile quidem innoteſcit , ſi Romani Epiſcopi conſuetudo expendatur, nihil olim momentanei decernendi abſque cleri, vel Epiſcoporum Italiæ qui bis Romam conveniebant ad ſynodos, conſilio & deliberatione. Cur ergo Timotheus & Petrus damnati dicuntur a Gelaſio, *non repetita ſynodo*? Nempe ſynodus intelligitur Oecumenica: quam etiam in Acacii cauſſa diſcutienda neceſsariam non fuiſſe, ut Græci contendebant, certo colligit.

Conceſſione deinde utitur Pontifex, quæ validiſſima rei, qua de agimus, probatio eſt. Optatiſſimum fuiſse ſcribit , ſi , quemadmodum olim ſedes Apoſtolica in Athanaſii, Chryſoſtomi, Flaviani cauſsis poſtulaverat ſynodum Oecumenicam, ita nunc in Acacii negotio celebrata eſset. Sed hæc celebrari cum non potuiſset, unum ſibi reliquum fuiſse concludit, ut ſola præſidium ferret ſedes Apoſtolica. Cœcus eſto, qui non videt , in id Gelaſium tendere , ut Acacium deponi potuiſſe abſque ſynodo generali ſuadeat; ac inde non colligit , ſynodum Oecumenicam Græcos poſtulaſſe. Verba ejus refero: *Ponamus tamen, etiamſi nulla ſynodus præceſſiſset , cujus Apoſtolica ſedes recte fieret executrix; cum quibus erat de Acacio ſynodus ineunda? Numquid cum his, qui jam participes tenebantur Acacio, & per Orientem totum catholicis ſacerdotibus violenter excluſis, perque exilia diverſa relegatis, ſocii*

evi-

evidenter exiſtebant communionis externæ; prius ſe ad hæc conſortio transferentes, quam ſedis Apoſtolicæ ſcita conſulerent? cum quibus ergo erat Synodus ineunda? Cum petit Gelaſius, cum quibus ineunda foret ſynodus; negatque iniri eam potuiſſe cum Orientis, maximeque primarum ſedium Epiſcopis, utpote communionis externæ hominibus: nemo non videt de Oecumenica quam Græci volebant, ipſum agere ſynodo. Pro qua demum celebratam eſse teſtatur, quam per tempora celebrare licuit, *plurimorum in Italia catholicorum congregationem ſacerdotum, quæ rationabiliter in Acacium ſententiam cognovit eſſe prolatam*. Ita græcorum querelæ ſynodum Oecumenicam poſtulantium placido genio indulgebat Gelaſius. Alia nihilominus intermiſcet argumenta, ex primatu Romanæ ſedis, appellationum quoque jure, ac primarum ſedium ordine deprompta, queis Græcorum expoſtulationes iniquas patefacit, ac jure nullo ſynodum Oecumenicam peti in Acacii cauſſa demonſtrat. Quid? quod ex ipſius Acacii ſus deque miſcentis divina & humana jura iniquis facinoribus argumentum denique promit. Si namque potuit ille voluitque ſedium Alexandrinæ & Antiochenæ alioſque deponere ac intrudere Epiſcopos ſine ſynodo etiam *qualicumque*; ſibi magis licuiſse oſtendit prævaricatorem ipſum Conſtantinopolitanum Epiſcopum damnare ſine ſyno-

ſynodo: quæ ideo hoc loco memoro; ut ex ſynodo etiam *qualicumque* ab Acacio prætermiſsa colligat nemo, neque Romanam ex Italiæ Epiſcopis in ejus cauſſa congregatam fuiſse a Felice ſynodum.

XXIII.

Non eſt Gelaſii I. *ſed Felicis* III. *epiſtola nuper edita de evitanda communione Acacii.*

JAmvero notum compertumque puto pretium inſignis nuper editæ epiſtolæ *de evitanda communione Acacii*, qua non pauca in hiſtoria damnationis ejus, quæ in ancipiti erant; firmata ſunt; & quæ in obſcuro, plurimum illuſtrata. De nobiliſſimi fœtus parente poſtremo loco agere, muneris mei eſse cenſeo, ut ea quæ dicta ſunt, celebritate ſcriptoris firmiora fiant. Gelaſio I. Romano Pontifici tribuitur hæc epiſtola in codice Veronenſi, unde prodit in lucem, diciturque *ad Epiſcopos Orientales miſſa*; ſic enim habet inſcriptio: *exemplum rationis reddendæ beati Gelaſii Papæ de evitanda communione Acacii miſſum ad Orientales Epiſcopos*. Recitant priores epiſtolæ verſus (*m*) Gratianus, Cardinalis Deuſdedit,

(*m*) cauſ. XVI. quæſt. III. cap. IX.

&

& Anſelmus ſub Gelaſii nomine ; hi quidem nullo Pontificis indicato ſcripto , ex quo deflorati ſint ; ille epiſtola perperam citata *ad Epiſcopos Dardaniæ*. Eamdem auctoritatem prolixius multo jam ante attulerat Nicolaus I. in epiſtola , quam dedit in cauſsa Rothadi reſtituti Epiſcopi Sueſſionenſis *ad univerſos Epiſcopos Galliæ* : eamque veluti Gelaſii laudat, ſcriptamque refert *ad Epiſcopos Orientales* . Nihilominus hujuſmodi auctorum & codicis fide rejecta, falso eam eſse inſcriptam, & Felici III. Gelaſii præceſsori adjudicandam , putat clariſſimus editor (*n*) ſupplementi Acaciani , eo quia *vivente Acacio exarata ſit* , *aut nondum certe mortis ſuæ nuncio Romam perlato* ; monetque , ſimilem librarii lapſum contigiſse in titulo epiſtolæ ad Flavitam Acacii ſucceſsorem datæ , quæ nomen præfert Gelaſii in codice Virdunenſi, cum certe Felicem habeat auctorem. Nec Gelaſio, nec Felici prædictam epiſtolam fortaſse convenire , proponit (*o*) Joſephus Blanchinus, cujus diligentiæ multum debet Veneta Sirmondi operum editio. Utrinque rationes exhibet, quarum aliæ Felicem auctorem videntur evincere, aliæ contra Felicem militant : atque demum ſatis veriſimiliter conjici poſse arbitratur, ab

(*n*) Tom. V. Concil. edit. Venet.
(*o*) Tom. IV. Sirmond. venet. edit.

igno-

ignoto quopiam Romanæ Eccleſiæ clerico, qui Felicis perſonam induerit, ſexto ineunte ſeculo conſcriptam fuiſse.

Admonere pretium eſt operæ, dignitati epiſtolæ nihil detractum iri, ſive demum Felicis, ſive Gelaſii, ſive clerici alicujus Romani fœtus aſseratur: ævo namque Acaciano eâ detrudi non poteſt; ac bene perſpecta quæ contigerant in Acacii negotio, habebant Felix, Gelaſius, Romani clerici, ut quæ in eadem traduntur epiſtola pro certis accipi, ac illuſtrandæ Acacianæ hiſtoriæ aptiſſima judicari queant. Si mihi liceat, quod ſentio aperire, dicam liberius, me in eam ſententiam impelli, quæ a Felice prodiiſſe hoc vetuſtatis documentum ſuſtinet. Cur ita ſentiam, paucis exprimo. Nempe Felici conveniunt omnia: quæ temporum notæ ſubindicantur, Felicis Pontificatum determinant: parem epiſtolam ſcribere debuit Felix ipſe, ut Orientalium Epiſcoporum alios contineret in fide, ſchiſmaticos alios refelleret: atque demum Gelaſii, vel ſcriptoris alterius character apparet nunquam.

Argumentationis caput primum aggredior: Scribentem Felicem oſtendunt ea verba: *ſi Acacius hunc* Moggum *recipit, quo jure, qua regula? cum nec pontificii ipſius eſſet hoc facere, nec ad me voluerit hæc referre*; Simplicii Papæ, & Felicis ſucceſſoris obſtinato ſilentio paterna monita ſprevit Acacius. Hæc Simplicius

plicius non ſcripſit ; *nec ad me voluerit hæc referre*; jam enim cum hæc ſcriberetur epiſtola , damnatus erat refractarius homo : unde calamum ſcribentis Felicis hæc indicant verba. Silentium idem Acacii memorat (*p*) Gelaſius, qui non ſibi tamen, ſed Apoſtolicæ ſedi non reſpondiſſe Epiſcopum Conſtantinopolitanum , diſerte ſcribit: *hæc*, ſedes Apoſtolica inquiens, *dum Acacium certis comperiſſet indiciis a communione catholica deviare*, *diutius iſta non credens.... per triennium fere literis deſtinatis eumdem monere non deſtitit; quibus ille cum dedito ſilentio diu non reſpondere proponeret &c*. Alia verba epiſtolæ profero . Felix enim eſt, qui hæc rurſum promit: *cum Acacio nobis fuit priſca communio* . Mitius pro ſedis Apoſtolicæ benignitate agere voluit cum Acacio Simplicius , quin unquam rumperet cum ipſo communionem: & Felix ipſe in epiſtola, quam inito Pontificatu ad illum per legatos miſit, veluti ſcelerum ejus neſcius: *cum nos*, ait , *aliquid temere ſiniſtrum* (*quod abſit*) *de tua mente conveniat opinari*. Pergit auctor epiſtolæ : *hæc* communio *ut ſervaretur illæſa per quinquennium fere monuimus: & licet nec reſcribere dignaretur , nos tamen , ut catholicam fidem retineret , nunquam deſtitimus adhortari*

(*p*) in epiſt.XIII. ad Ep.Dard.

hortari

hortari: quæ ſane partim Simplicio, partim Felici conveniunt, proprioque nomine ſcribere potuit ſolus Felix. His quidem ſimilia cum primum proferat Gelaſius in (*q*) epiſtola ad Anaſtaſium Auguſtum, ſtatim ſedis Apoſtolicæ nomine ſe loqui ſignificat; ait enim: *Acacium quoque jure dicimus a noſtro conſortio ſubmovendum, qui maluit in ſortem tranſire perfidiæ, quam in catholicæ & apoſtolicæ communionis ſinceritate conſtare; cum fere per triennium, ne in id veniret apoſtolicæ ſedis epiſtolis doceatur inſtructus*. Priores verſus potuiſſet ſcribere Felix, calamum Gelaſii produnt poſteriores. Scribentem præterea Felicem quiſque colligat, qui hæc expenderit: *poſtremo legatis miſſis terruimus, blanditi ſumus, prædiximus comminantes, ſuadentes, obteſtantes, damnationem prætendentes, ne communioni cederet perditorum*. Sed hæc eadem, ſolum hiſtoricum agens, refert (*r*) Gelaſius: *epiſcopalis quoque*, inquiens, *directa legatio eſt, ac nihilominus pagina* (Felicis epiſtolam per legatos miſſam indicat) *deſtinata quæ præmoneret, eum ſuorum ante meminiſſe geſtorum, & quæ primitus pro fide catholica deſudaſſet, oportere reſpicere: conteſtans, & blandiendo pariter & minando, ne ſe a corpore catholicæ unitatis abſcinderet*.

(*q*) VIII. in coll. Labb.
(*r*) XIII. ad Epiſc. Dard.

Fe-

Felix demum eſt, qui ait: *donec iſta* Acacii delicta *cognoſcerem, potuit mihi cum illo priſtina manere communio; verum ubi hoc comperi, ſi non eum continuo a mea communione ſeparaſſem, videretur mihi etiam cum jam prævaricatore nihilominus manere communio;* ac rurſum: *Acacium quoque a noſtra communione ſubmovimus, ne per eum etiam nos Petro* Moggo *nulla Eccleſiæ regula diſcuſſo atque ſuſcepto, & ideo in priſtino errore duranti; communicaſſe dinoſceremur*. Quam differens vero narratio (ſ) Gelaſii eſt, qui hæc ſibi non tribuit, ſed Apoſtolicæ ſedi, ac Felici præceſſori? Ait enim: *juſteque ſedes Apoſtolica, qua utique ſe Petrum Alexandrinum damnaſſe, non etiam ſolviſſe memorat, ne per Acacii priſtinam communionem Petri quoque* (Apoſtoli, ſeu ſedis Apoſtolicæ) *collegium, cui Acacius communicaverat, incideret; ipſum competenter Acacium a ſua communione ſubmovit*. Quæ dum ego Felici convenientiſſima profero, pauca inter plurima exſcribo, quæ tota proſtant epiſtola.

Temporis notas quæ ſubindicantur, expendere placet, an Felicis Pontificatum determinent? Ita eſſe, notum mihi videtur compertumque. Vitam ſcilicet egiſse, cum hæc ſcri-

(ſ) XIII. ad Epiſc. Dard.

beretur

beretur epiſtola, non ſolum Miſenum legatorum alterum, qui anno CCCCLXXXXV. in Romana ſynodo, præſidente Gelaſio, abſolutus eſt, verumetiam Vitalem ſocium prævaricationis, *qui jam tulerat* (ut ejuſdem Synodi acta teſtantur) *ſortem divini judicii*, probant Græcorum inſtantiæ, ac ea quæ ſubjiciuntur reſponſa. Inquiebant illi*: dicite nobis, utrum Vitalem & Miſenum abſoluturi ſitis, an non?* An Græcos, Vitali jam denato, ita objicientes induxiſset ſibi compos epiſtolæ ſcriptor ? Reſponſio eſt*: utrum eos ſalva fide & communione catholica, & ſedis Apoſtolicæ reverentia abſolvi velitis, an non:* tum *quod promiſi*, legitur*; hoc unum implere contendo; promiſi enim deliberaturum, quomodo juſte videantur abſolvi:* demum *iſtos abſolvere non valemus, niſi ut juſte noſtra ſententia ante tempus videatur eſſe laxata* . Hæc ſane , altero legatorum vita functo, dici non potuiſsent . Sed etiam Zenone Auguſto adhuc imperante, qui anno CCCCXCI. vitam & ſceptrum amiſit, exaratam quiſque colligat epiſtolam ex ejuſdem non paucis ſententiis , quibus vindiciæ convelluntur pro Acacio actæ, veluti neceſſitate imperiali coacto, ut Moggum Calchedonenſi Concilii hoſtem ſuſciperet . Ea rurſus verba expendo: nempe *Nos Imperatorem tantum amamus , ut velimus eum facere quod pro ſalute ipſius ſit ; quod pro anima & pro con-*

conſcientia ipſius eſt. Pontificibus catholicis; etiam ſi qua probatur, relaxet offenſam. Ipſius eſt, quod conſcientiæ, quod animæ ſuæ & ſaluti ſcit prodeſſe, facere. Si non vult, quæ in his ſunt utilia facere, ipſe viderit. Vivebat ergo Zeno, ſuæque ſaluti conſulere adhuc vivus poterat, cum hæc in epiſtola Græcis imperialem auctoritatem urgentibus reponerentur. Quin ſceleratum etiam prodit viventem Moggum tota epiſtola, ac iniquis facinoribus Eccleſiam Alexandrinam tunc certe diſſipantem. Periit ille anno ccccxc. de quo tamen hæc in epiſtola legimus: *dicite omnes anathema Petro: quamdiu vivit nolite illi communicare, & communicamus vobis.* Denique nec prævaricatorem Acacium e vivis exceſſiſse, oſtendunt plura. Inquiunt enim, qui pro eo agebant: *vi oppreſſus eſt, & opprimitur.* Urgent: *ſi per Acacium curatur omnis Eccleſia, eſt tanti hujus hominis abſolutio.* Adhuc inſtant: *cum item Acacius egerit, ut curetur Eccleſia, Acacium convenienter abſolves.* Sunt hæ pro vivente Acacio ſuſceptæ a Græcis defenſiones. Sunt etiam contra viventem Acacium reſponſa: *etiamſi vi premitur, vim perferre debuit:* & *ſi ille premitur, & adeſſe ſibi non poteſt, ego oppreſſionis ejus & tranſgreſſionis complex eſſe jam debeo?* & *ſi vim patitur Acacius, & nunc talem ſe debuit exhibere, qualem ſe exhibuit ſub Baſiliſco tyranno:* & *curatione totius*

 Eccle-

Eccleſiæ perſona Acacii liberetur : & *ſi Acacius modis omnibus abſolvi noluerit* ; & alia demum plura, qua a capite ad calcem epiſtolæ cuique legenti ſponte occurrunt. At mortem obiit Epiſcopus Conſtantinopolitanus anno CCCCLXXXVIII. vel inſequente, cum ſedem Apoſtolicam teneret Felix, tenuitque uſque ad annum CCCCLXXXXII. incœptum: ejuſdemque pariter pontificatum determinant emortuales anni Moggi, & Zenonis, ac etiam fortaſſe Vitalis, qui dicitur ante annum CCCCXCV. *jam tuliſſe divini judicii ſortem*.

Specioſa illa eſt objectio, qua Gelaſianæ epiſtolæ proferuntur, ubi Acacium & Moggum velut hac luce fruentes inſequitur Gelaſius. Inquit ille in (*t*) commonitorio ad Fauſtum: *teſtis eſt frater veſter, filius meus, vir illuſtris Andromachus, qui a nobis abundanter inſtructus eſt, ut cohortaretur Acacium, depoſita obſtinatione, reſipiſcere*. Ait rurſus (*u*) ad Epiſcopos orientales ſcribens: *ſi tu abſque mea communione Petrum judicaſti eſſe catholicum: meque deſpecto, tuo eum jure recepiſti: quid cauſeris, ſi illum ego a communione mea, quam tu voluiſti contemptam, tanquam abſque tua notitia vel conſultatione repulerim?* His ſatis facillime facit, qui cum clariſſimo

(*t*) IV. in coll. Labb.
(*u*) XV. in coll. Labb.

ſup-

ſupplementi Acaciani editore cenſet, prædi-
cta & alia non pauca epiſtolarum Felicis fragmenta in Gelaſianas epiſtolas librariorum vitio intruſa eſſe: qua de re fuſius agere mihi non licet, ſuaque ſatis firmat ſuſpicionem auctoritate vir doctiſſimus. Sed allatæ ſententiæ habuerint (non abnuo) Gelaſium parentem, non proprio ſed Apoſtolicæ ſedis nomine, adnotante Baronio, ſcribentem: mihi nulla tamen epiſtolæ noſtræ cum Gelaſianis iniri juſta comparatio poſſe videtur. In his enim una, vel altera, vel paucæ occurrunt ſententiæ, quæ Gelaſium non proprio, ſed nomine ſedis loquentem oſtendunt: at in illa quæ omnia ſcribuntur, uni Felici conveniunt. In Gelaſianis etiam ſtatim ſe prodit Gelaſius auctorem, geſtorum quæ præterita jam ſint, & Acacii, Moggi, Zenonis, uti jam e vita migraverint, facta mentione: ſed in epiſtola qua de agimus, unius Felicis perſona ſuſtinetur, & Legati, Zeno, Moggus, Acacius veluti viventes ſemper inducuntur.

Quod affero, confirmat validiſſime tertio loco prolixa diſputatio, cui hæret auctor epiſtolæ, ut verba prolata exponat in ſententia damnationis Acacii, qui dicitur *nequaquam anathematis vinculis exuendus*. Ea Græcos poſt Acacii mortem calumnioſe vexare conatos eſſe, ſcripta probant (*x*) Gelaſii hac

(*x*) in Tom. de anathematis vinculo.

de re edita. Nihil ſimile ab eiſdem Græcis objectum, cum a Felice lata in Acacium ſententia damnationis Conſtantinopolim miſſa eſt, nemo crediderit. Eam eludere *malignissimis blandimentis* curaſſe Græcos, teſtantur Patres Romanæ ſynodi anno CCCCLXXXV. celebratæ: ac pronum erat hominibus pro Acacio agentibus, de nimia ſeveritate, quam ea verba præferunt, ſententiæ latæ auctorem arguere. Debuerat ergo Græcorum objectionibus reſpondere Felix, impactaſque calumnias amoliri. Id ipſum abunde feciſſe, pro certo habet (y) Baronius, teſtemque appellat Gelaſium, qui in literis ad Laurentium de Lignido in Theſſalonicenſi provincia Epiſcopum datis *epiſtolam* memorat *prædeceſſoris* Felicis *de exceſſibus Acacii*, eamque *copioſiſſimam*. Hanc eamdem eſſe ac noſtram nuper editam, conjiciebat Blanchinus, conjeceram ego, neque conjecturam tam facile eludi poſſe video. Prolixa namque & *copioſiſſima* illa eſt, *de exceſſibus Acacii* tota agit, ſeveriora ſententiæ verba exponit, ac maligna omnia Græcorum blandimenta refellit.

y) ad Ann. cccclxxxv. num. 3.

XXIII.

XXIV.

Alius auctor ſe prodit numquam, qui nomine Felicis eamdem ſcripſerit epiſtolam.

HÆc vero ſunt, quæ Felicem produnt epiſtolæ auctorem. An alterius ſcriptoris, qui perſonam ejus induere voluerit, ſigna alicubi appareant, denique expendo. Quingenti & amplius anni, qui ſtatim ſub initium veluti elapſi numerantur, hominem ſubindicare videntur ætate Felicis aliquot annos poſteriorem. Verba ſunt: *poſt quingentos annos conſtituta Chriſti eos velle ſubvertere &c.* Quomodo, inquio ego, hæc temporis quo degerat Auctor, nota certa habenda eſt, qui tota epiſtola Zenonem, Moggum, Acacium tot ante ſæculum ſextum annis vita functos, veluti vitæ auram tunc etiam reſpirantes inducit? Si Felicis perſonam agere ſibi propoſuit ſcriptor ille, cur eam uno verbulo ſtatim ſub initium abjicit, quam poſtea integro tractatu egregie ſuſtinet? Non ita ſe res habet: verum numerus effertur, ut fieri ſolet rotundus. Id ante monuit (z) Nicolaus I qui ait: *ſtatuta itaque Chriſti dixit, poſt quingentos annos eos ſub-*

(z) in epiſt. ad univerſos Epiſc. Galliæ.

vertere, *quia jam quinquies centum circiter anni præterierant*, *quando venerabilis Papa dixit*, *ſedem Apoſtolicam hæc ſtatuta Chriſti promeruiſſe*. Exempla ſimilia prætereo, quæ Mabillonius (*a*) expendens : *in vetuſtis*, ait, *monumentis quædam occurrunt rotundo modo expreſſa in numeris; non illis quidem*, *quibus notæ chronicæ cujuſque inſtrumenti ſignantur ſed in aliis*, *quæ in contextus tenorem & nartionem cadunt*: cujuſmodi ſunt, quæ annorum quingentorum numero in epiſtola, qua de agimus, definiuntur.

At Vvandalicæ perſecutionis (rurſum objicitur) finis innui videtur illis epiſtolæ verbis: *etiamſi vi premitur* Acacius, *vim perferre debuit .... ſicut fecit ſanctæ memoriæ Flavianus*, *& alii ſub perſecutoribus Imperatoribus*, *vel hæreticis*, *vel paganis*, *& nuper in Africa factum eſt*. *Quid enim*? *vim maximam illi non patiebantur*? *& ideo vincebant patiendo vim*, *non violentiæ cedendo*. Finem vero habuit ea perſecutio anno ccccxciv. quo poſterior dicendus eſt auctor epiſtolæ. Perſecutionem Vvandalorum incœptam ſane video in his verbis, & aliquot annis currentem: finem ejus non video. Primum in catholicos edictum anno ccccLXXXIII. & anno inſequen-

(*a*) lib. II. de re diplom. cap. VII. num. 10.

te

te alterum tulit Hunericus. Legatis, Vitali & Miſeno, jam regiam in urbem miſſis, narrat (b) Evagrius, litteras ad Zenonem a Felice Papa datas eſſe, eaſque fortaſse a Felice Eccleſiæ defenſore perlatas, *quibus eum* περὶ τοῦ ἐν Ἀφρικῇ διωγμοῦ τοῦ κατὰ Ὀνώριχον, *de perſecutione in Africa ab Hunerico excitata commonebat*. Anno circiter CCCCLXXXVII. Guntabundus Hunerici ſucceſſor tertio anno regni cœmeterium ſancti Martyris Agilei apud Carthaginem, jam revocato de exilio Eugenio Epiſcopo Carthaginienſi, catholicis dari præcepit, ut ex fragmento Auguſtano apud Caniſium diſcimus; reliquis interim Epiſcopis Afris adhuc in exilio manentibus; quod anno tandem CCCCXCIV. ſolutum eſt. Eodem anno CCCCXCVII III. Idus Martias Romana ſynodus, præſidente Felice, celebrata eſt in cauſſa lapſorum Africæ. Non ante, ſed poſt hanc ſynodum epiſtolam noſtram datam eſſe, quæ mentio injicitur ejuſdem, ut monuimus num. IX. certiſſime probat. Cur ergo poſt hæc ſcribere non potuit Felix, *vim perferre debuiſſe Acacium, ut nuper in Africa factum eſt, ubi vim maximam catholici Epiſcopi patiebantur, & ideo vincebant patiendo vim, non violentiæ cedendo?*

(c) lib. III. hiſt. cap. XX.

 In-

Inquies præterea, temporis circumſtantias alium a Felice ſcriptorem indicare. Namque pacem Romæ placidiſſimam obtinentem oſtendit auctor epiſtolæ, qua certe nec Felix nec Gelaſius ab Acacianis exagitati fruebantur. Hæc legimus in epiſtola: *ideo illi perſtant in fide catholica qui in Oriente perſiſtunt, quia a me eam defendi vident, & animantur ex me; alioquin aut illi corruent me faciente, aut ſi me (quod abſit) decidente perſtabunt, apud Deum hominesque me jure damnabunt. Illi me etiam ſub perſecutione poſiti non deſeruerunt, ego illos ſine perſecutione deſerturus ſum?* Atenim Gelaſius teſtatur in epiſtola ad Ruſticum Lugdunenſem Epiſcopum anno ccccxciv. datam, magnam ſe *ob impiiſſimi Acacii cauſſam perſecutionem ſuſtinere; non deficere tamen, & inter tot preſſuras non cedere animum*. Nempe Felix veriſsime ſcribere potuit, *ſe ſine perſecutione* eſſe, qualem ſcilicet catholici patiebantur in Oriente, & *ſub qua* poſiti erant; ubi a Fullone Antiochiæ, a Moggo Alexandriæ, ab Acacio Conſtantinopoli, favente Imperatore, propriis detrudebantur ſedibus Epiſcopi: ab eiſque tot *exercebantur tragediæ*, (ut (*c*) Gelaſius ait) *per Eccleſias totius Orientis, quibus enarrandis libri non ſufficerent*. Felix

(*ſ*) XIII. ad Epiſc. Dard.

etiam

etiam, ſi placeat; perſecutionem Romæ ſuſtinebat, quam indicat Gelaſius, nempe ſchiſmaticorum calumnias; inſultus, obſtinationem; reſiſtentiam. Quamquam Gelaſiana verba paullo attentius expendenti alia perſecutio occurrit, quæ Gelaſii, non Felicis temporibus mota fuerit. Eam profero ex commonitorio ad Fauſtum, ex quo diſcimus, Euphemium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, alioſque complices Orientales Epiſcopos ad conflandam invidiam ſparſiſſe in vulgus, Anaſtaſium Imperatorem ab urbis Romæ Epiſcopo non recipi, neque a ſenatu Romano. Hæc narrat Baronius anno ccccxciii. ac anno inſequente ſcribit, Anaſtaſium Auguſtum, palam improbata fide Calchedonenſi, (quod ante non fecerat Zeno Felicis ætate) apertum bellum contra fidem catholicam moviſſe. Hæc eſt perſecutio quam indicat Gelaſius: quave immunem liberumque ſe eſſe, (ut ſcribit epiſtolæ auctor) dicere potuit Felix. Denique objicitur, difficile creditu eſse, Romanum Pontificem dare tam copioſam epiſtolam voluiſſe ad *incertos vagoſque* homines, ac *innominati* & ignoti ſcriptoris refellendas objectiones ſuſcepiſſe. Imo Gelaſio teſte, & ex fide codicis, unde nuper edita eſt, data dicitur hæc noſtra epiſtola *ad Orientales Epiſcopos*, ut qui catholici eſſent, in ſententia contra Acacium lata conſtanti animo perſiſterent; & qui favebant

Aca-

Acacio, de exceſſibus ejus certiores facti, cederent veritati. Neque proprio nomine appellare debuit Felix Acacianæ factionis homines, quos refellit: quod neque Gelaſius in epiſtolis a ſe datis uſpiam fecit. At viderat certe illorum epiſtolas aut ſcripta in vulgus ſparſa, eaque bis memorat epiſtolæ noſtræ auctor; quem Felicem puto, ut colligere ex illis verbis quiſque poteſt: *Si non ſequendam* (Synodum Calchedonenſem dicitis) *quomodo hanc vos literis veſtris tenere profitemini*, & *quomodo vobis credimus, fidem catholicam tenere jactantibus, quando etiam ea, quæ ſcripto publicatis, non tenetis?* . . . .

XXV.

Nihil eſt in defenſione pro Acacio & Moggo ſuſcepta a Græcis, quod obſtet, quominus eadem Felici adjudicetur epiſtola.

Diſſimulare poſtremo loco difficultatem non licet, quam ingerit ratio quædam inſolens defenſionis pro Acacio, proque Moggo a Græcis propoſita. Servatum fuiſſe Moggum in *ſequeſtris* ad futuram ſucceſſionem in ſedem Alexandrinam, objiciebant illi, ut facinus Acacii, qui homini medullitus Eutychiano communionem conceſſerat, eumque paſſus fuerat Alexandrinum Epiſcopum creari, mollirent ut po-

poterant ; proque modulo excuſarent . Hæc vero objicere Felici eos voluiſſe, qui rem certo noverat non ita ſe habere, veriſimile non eſt: unde poſterioris ætatis fœtus videtur eſſe epiſtola, qua de agimus, cum videlicet vita functo Felice, nec non Gelaſio, licuit Græcis confidentius mendacia fingere. In ea porro non ſemel Græcorum nomine veluti in ſequeſtri, vel ſequeſtris poſitus fuiſſe Moggus perhibetur, his verbis: *non ut in ſequeſtris eſſet, quod nunc prætenditur*, & in *ſequeſtri dicitur conſtitutus*, & *in ſequeſtri fuiſſe prætenditis*. Quo vocabulo futuram Moggi ſucceſſionem in Epiſcopatum poſt Soloſacioli mortem indicari, ex eadem colligimus epiſtola, ubi auctor ait: *non ut in ſequeſtris eſſet, quod nunc prætenditur, ſancto, cum obiiſſet, Timotheo ſubrogandus*; & *falſum eſt ergo, quod in ſequeſtri dicitur conſtitutus, ut eidem ſubrogaretur*: ac demum *ſi in ſequeſtri fuiſſe prætenditis propter ſcandalum Timotheo catholico ſubrogandum*.

Hanc ego futuram Moggi ſucceſſionem in Epiſcopatum Alexandriæ exiſtimo, Felici potuiſſe a Græcis opponi ſub aliquo veri colore, licet reipſa falſum id eſset, ac minus aptum ad ejuſdem Moggi cauſſam perorandam & Acacii. Sed hæc non una ratione potuit eſse Moggo expectativa. Ita primum intelligi poteſt, ut illum ſibi Soloſaciolus ante obitum deſignaverit ſuffragio ſuo ſucceſsorem ;

que-

quemadmodum refert (*d*) Epiphanius, morientem Alexandrum mandaviſſe, nullum ſibi alium ſuffici præter Athanaſium: & hunc (*e*) Theodoretus narrat, morte adventante deſignaſſe Petrum Presbyterum. Neque Solofaciolum id juris deſignandi ſucceſſorem uſurpaſſe, neque Moggum ex deſignatione veluti in Sequeſtris poſitum fuiſſe, ut ſuccederet in Epiſcopatum, ex hiſtoriæ fide clariſsime patet; id unum enim poſtulavit Timotheus, & conceſſit Imperator, *ut catholicum a catholicis ordinandum* eligerent ſibi Epiſcopum *clerus & populus Alexandrinus*. Rem narrant Auctor geſtorum de nomine Acacii, & (*f*) Evagrius: recteque monet (*g*) Henricus Valeſius, poſt cædem Proterii electionem Epiſcopi clero & populo Urbis Alexandrinæ ademptam fuiſſe, ac Imperatorem jus nominandi Epiſcopi ad ſe tranſtuliſse, ut ſeditionibus locus omnis præcluderetur. Non adeo perfrictæ frontis fuere Græci, ut aperto mendacio futuram ex deſignatione Petri Moggi ſucceſſionem proponerent: neque certe objectioni reſpondet epiſtolæ auctor, quem Felicem credo, veluti a Solofaciolo deſignatum fuiſſe Moggum ſucceſſorem denegando.

(*d*) hær. 68. num. 6.
(*e*) lib. IV. hiſt. cap. XX. edit. Valeſ.
(*f*) lib. III. hiſt. cap. XII. edit. Valeſ.
(*g*) in not. ad Evag. ibid.

Aliam

Aliam expectativæ pro Moggo rationem ; comminiſcebantur illi. Solofaciolo morem gerens Imperator *lege lata ſanxerat* (teſte Evagrio) *ut poſt ejus mortem is eſſet Epiſcopus*, ὃν ἂν ὁ κλῆρος καὶ τὸ κοινὸν ψηφίσαιντο, *quem clerus & populus ſuffragiis ſuis elegiſſent*. Joannem Talajam exceptum fuiſſe a Zenone, coactumque jurare, μήποτε τὸν τῆς Ἀλεξανδρέων ἐπιζητήσειν θρόνον *nunquam ſe Alexandrinam ſedem affectaturum*, refert Zacharias Eutychianus homo apud Evagrium: quod etiam (*h*) Simplicii Papæ ætate ante Felicem III. in vulgus ſparſum fuerat. Vita functo Solofaciolo, eligitur Joannes Talaja, idemque pellitur veluti perjurii reus : Moggus vero, qui jam pridem poſt mortem Æluri, & ante Solofacioli reſtitutionem ordinatus fuerat, dejectuſque propter hæreſim, rectam fidem Zenonis Henotico ſuſcepto ſimulat, correctuſque apparet: dignus etiam Epiſcopatu judicatur, ac illum (*i*) *Pontificem poſtulantibus* (ut Zeno Simplicio ſcripſit) *iis cum quibus olim catholica participatione diviſus erat*, ad Alexandrinæ provehitur Eccleſiæ regimen. En certe quomodo Moggus veluti in ſequeſtri poſitus dicebatur a Græcis, Timotheo catholico ſubrogandus. Primo jam ordinatus fuerat ille ejus

(*h*) XVII. in coll. Labb.
(*i*) oco cit.

Ec-

Eccleſiæ Epiſcopus poſt Ælurum: dejectus vero fuit propter hæreſim : at poſtea correctus apparet in Zenonis Henotico. Reliquum ergo videbatur eſſe ut ipſe Solofaciolo ſubrogaretur. Deinde clero & populo Alexandrino facultas ab Imperatore data fuerat, petente Solofaciolo, ut ipſi Epiſcopum ſibi eligerent : ſed Moggum ſibi *Pontificem poſtulabant*, teſte Zenone, etiam illi, *cum quibus olim catholica participatione diviſus erat ;* unde Moggo jus obveniſse prætexebatur, ut ſuccederet. Denique juraverat Joannes Talaja, nunquam ſe Alexandrinam ſedem affectaturum: non alius ergo credebatur ſubrogandus, niſi Moggus, ab Imperatore nominatus, jam correctus in ejus Henotico, & poſtulatus ab Alexandrinis. Ita Græci objiciebant cum ſpecie quadam veri. Singula vero Auctor epiſtolæ refellit. Moggum olim Alexandrinis ordinatum Epiſcopum, negat reſervatum dici poſſe ad honorem, quem dignum ſuppliciis ipſe dixerat Acacius in ſua ad Simplicium epiſtola. Verba ſunt : *itaque non ut in ſequeſtris eſſet, quod nunc prætenditur, ſancto cum obiiſſet Timotheo ſubrogandus; qui pro ſceleribus ſuis, quæ retulit Acacius, ſuppliciis ſubditus eſt : nemo autem ad honorem reſervatum, dignum aſſerit eſſe ſuppliciis.* Datam a Zenone facultatem Alexandrinis, ut Epiſcopum ſibi eligerent & ordinarent, non negat: ait vero mandaſſe Imperatorem, ut Epiſco-

piſcopus is eſset , quem catholicum catholici eligerent & ordinarent : neque talem eſse Moggum, qui ab hæretico ordinatus fuerat, & catholicoTimotheo nunquam communicavit. *Imperator*, inquit, *Timothei catholici electioni cuncta permiſit*, (ideſt votis ejus ac poſtulatis conſenſit:) *neceſſe eſt igitur, ut ſequatur quod ille conſtituit , & dixit : catholicum a catholicis ordinatum . Falſum eſt ergo , quod in ſequeſtri dicitur conſtitutus, ut eidem ſubrogaretur, cui nunquam communicavit , & a quo poſtulatus eſt longius debere relegari*. De juramento tandem agit , quo Joannem Talajam obſtrictum dicebant Græci: quod Auctor epiſtolæ videtur negare: ac eamdem etiam Græcorum accuſationem jam neglexerat ſpreveratque (*l*) Simplicius.

Patet vero palamque eſt, colligi nihil poſſe ex hac pro Moggo proque Acacio ſuſcepta defenſionis ratione, quod alium a Felice probet aut indicet epiſtolæ, qua de agimus, auctorem . Ceterum neque inſolentia Græcorum dicta, apertoque falſa ac fabuloſa argumenti loco eſſe poſsunt , ut poſterior aliquis Felicis vel etiam Gelaſii ætate conjiciatur auctor : mala enim & injuſta Acacii cauſsa , nonniſi commentis atque fabellis ad fucum faciendum

(*l*) XVII. in coll. Labb.

com-

compoſitis perorari poterat. Commentum erat apertiſſimum eorum, qui *a Timotheo catholico Petrum* Moggum *aſſerebant ordinatum;* quod etiam *ridendum* dicit auctor epiſtolæ. Noverat Felix, vere correctum non fuiſse Moggum, neque corrigi potuiſse in Zenonis Henotico: quam tamen ejus correctionem toties repetunt Græci. Impoſitam Acacio fuiſse neceſſitatem communicandi Moggo ab Imperatore, inquiebant: quod falſum eſse revincebant Romani Pontifices ex ipſis, quas habebant, literis Acacii. Futilia erant omnia, ut ſemel dicam, quæ pro Acacio proferebantur: ea tamen velut argumenta validiſſima proferebant Græci: eademque Felix atque Gelaſius epiſtolis ac tractatibus refutare voluerunt. Satis vero de tota Acacii cauſsa, ac nuper editæ epiſtolæ auctore hactenus diſseruiſse.

FINIS.

SS 566705

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google